

EST PE
BIMVSARV
DE
Guagliardus F.



# MVSARVM
# HORTVS,
A D. VINCENTIO
# LIBASSI
PANORMITANO,
S.T.D. Abbate SS. Ioannis & Hermetis,
aç Metropolitanæ Panormi Ecclesię
Canonico, & Examinatore Synodali dilgenter olim excultus,
atque
*ILLVSTRISSIMO*
SENATVI PANORMITANO
ad animi relaxationem patefactus,
in tres verò areolas partitus,
quarum
*I. Continet Epigrammata, Odas, &c.*
*II. Eclogas, Satyras, Elegias, &c.*
*III. Solymeidem Tassi Latinè redditam.*

AREOLA PRIMA.

PANORMI
Ex Typographia D. Cyllenij Hesperij.

*Cum facultate Superiorum.* 1683.

*ILLVSTRISSIMO*

SENATVI PANORMITANO,

D. STEPHANO RIGGIO ET SALADINO, Principi Ciuitatis Acidis, S. Antonij, S. Philippi, & Catenę, Marchioni Inestræ, Baroni Rachalis, Domino Terræ Bonaccursorũ, Equiti Ordinis Alcantaræ, ac huius Regni Deputato, *PRÆTORI.*

D. VINCENTIO BELLACERA, Baroni VERBVNCAVDI,

D. LVDOVICO SPATAFORA ET LO BIAN-(CO,

D. LVDOVICO SPATAFORA ET OLIVERA, Equiti Ordinis Alcantaræ,

D. FRANCISO GIARDINA,

D. IACOBO D'EBANO,

D. IOANNI BENAVIDES, *SENATORIBVS.*

DELITVERAT iamdiu in tenebris vna cum suo conditore consepultus MVSARVM HORTVS, egregij vatis opera excultus: eius inquam vatis, cuius ingenium, bonarum artium studijs perpolitum, in florentissimis ætatis nostræ Academijs non vulgari semper in pretio est habitum. Nunc verò, Prætor Illustrissime, quoniam Solis instar Senatorios inter Planetas effulgeas, è propitijs illis, quæ tuo præfulget in stemmate sideribus, lucem sibi vindicat optatissimam; ac ne mordaces irrepant colubri,

ad Hesperidum inuidiam, Panormitanæ Aquilæ præsidium poscit. Tibi equidem, in quo & ornamenta virtutum,& literarum decora, & proauitę nobilitatis gloria efflorescũt, dicandus fuerat MVSARVM HORTVS. Atque vtinam Heroicus tanti Pricipis animus non ita laudum aborreret lenocinia, in ipso suburbani nostri vestibulo gentilitiã tui Generis arborem demitãdam præfigerẽ: cuius in folijs tot Maiestatis Regiæ Præfecti cubicularij, tot Prætores amplissimi, tot rationum Magistri integerrimi, tot Duces, tot Principes, tot infulati Proceres, tot Patritij viri, seuerioribus regni curis, honoribusque perfuncti, tot Cruces, præclarissimorum Equitum insignia, tantaque dignitatum series pulchrum sui spectaculum præbent. Percurrerẽ præterea perspicacioris ingenij, altissimique consilij claritatem,& vel in ipso ætatis flore prudentiam plusquàm senilem. Hæc verò, cæteraque volens lubensque prætermitto; non vulgaris argumenta gloriæ; ne masculæ scilicet virtuti tuæ fastidium pariant expiandũ. Excipe igitur MVSARVM HORTVM, politioris literaturæ cultor, Heros lectissime, ea, qua soles fronte literaria monumenta suscipere: quæ tibi adeò sunt in delicijs; vt ad vnum omnes auspicatissimũ meritò te cupiant Mecœnatem. Habes in il-

lo

lo animi Elysium, nitidissima florũ elegantia expictum, nec iniucundis distinctum areolis: quicquid in laudatissimis Torquati Tassi poematis reuirescit, felicis ingenij arte traductum, nouam sibi in hoc Horto cõparat venustatem. Plures in illo legeres flores, si mortis inuidæ inuisa falx satorem suum serius detruncasset. Dignum sanè opus posteritati, famæque traditis, Senatores Illustrissimi, dum literarũ studia Panormitanæ sub Aquilæ alis confouere gaudetis. Neque ego cùm Prætori vestro tantum laudationum impertio, vestrum omnium laudes omitto: non vltimam enim vestræ gloriæ partem existimo, sub tanto Principe Senatoriam tenuisse Dignitatẽ. Tuus denique sum, tuus iure optimo MVSARVM est HORTVS, Senatus Ornatissime: quicquid in eo decorum, splendidum, quicquid in eo viget, munificentiæ tuæ riuis debetur, & patrocinij secundis Zephiris. Vale diu, & siquando maioribus mens curis fuerit feriata, per huius Horti areolas peragrare, ac dulcioris poëseos nectar suauissimum, apis instar, decerpere ne dedigneris.

DD. VV. Illustrissimarum

*Humillimus Seruus*

*V. I. D. D. Laurentius Buscella.*

## APPROBATIONES.

EGO Placidus Spadafora S.I. ex mandato Reuer. Domini D. Alexandri de Noto pro Vic. Gener. perlegi librum; qui inscribitur; HORTVS MVSARVM, opus posthumum DON VINCENTII LIBASSI Canonici, &c. in eoque nihil reperi, quod vel eximiam in Deum, ac Superos pietatem, vel ingenij acumen, vel artis Rhetoricæ pompam, styliq; floridioris elegantiam non redoleret modò, sed affatim etiam legentium cuiuis exprimeret. Itaque dignum censeo, & qui typis mādetur, & per dissitas eruditorum hominum Academias typorum beneficio prouehatur. Dat. Panor. in hoc Collegio Soc. Iesu, die 3. Ianuarij 1683.

*Iuxta relatam assertionem.*

IMPRIMATVR. Noto pro V. G.

DE mandato Illustrissimi Dom. D. Ioannis Ramondetta, Ducis S. Martini, de Cōsilio Suæ Cath. M. Regentis in supremo Cōsilio Italiæ, Magistri Iustitiarij, Locumtenentis, & Præsidentis dignissimi Tribunalis Mag. Reg. C. Ego D. Ioannes Baptista de Iudice accurate, ac diligenter legi librū; cuius titulus est HORTVS MVSARVM, Auctore D. Vincentio Libassi Canonico, &c. Et cum in eo nihil offenderim, quod bonis moribus, ac Regiæ Iurisdictioni, Regijsque Pragmaticis aduersetur, quin eloquentissimo dictionis stylo pietatem iunctam agnouerim; dignum arbitror, vt typis mādetur. Panormi Nonis Februarij. 1683.

*Stante præsenti approbatione*

IMPRIMATVR. Ramundetta R. P.

AV-

# AVCTORIS ELOGIVM.

Ducas oro paulisper moram
Lector beneuole.
Hic te paucis vult nostras Apollo,
De Musarum horto perbene meritus.
Habes hic vatum Pausilypum,
Vbi curis seuerioribus valedicas:
Habes leporum Corcyram,
Vnde Charites ipsę hauriant venustatem.
Sublimia hic vides omnia;
Auctore D. VINCENTIO LIBASSI.
Quia videlicet ingeniosa Metamorphosi
Ima quælibet à tanto viro
Didicere sublimitatem,
Ne quęre de Auctoris moribus, & ingenio:
Ima erunt, imò ferè nihil
Quęcumque in eius laudem congesserim.
Eius Patria Panormus fuit;
Sed & ipse Panormo patriæ esse debuit;
Cùm vrbes ipsę non aliunde habeant celebritatem,
Quàm à magnis alumnis suis,
Qui Magni nasci non solent, sed virtute fiunt.
Adultus inter Musarum illecebras,
Musis ipsis solatio fuit non vulgari:
His enim hortum aperuit, & excoluit,
Nescio cuius meliore fortuna:
Siquidem Musas, plerunque in silu is degentes,
In aureo Felicitatis Horto locauit.
Hinc loqui flores, loqui aurum addiscens,
Dictus est non immeritò
Ver Musarum non minus, quàm Nilus scientiarum.

ita

Ita sterilem quamque materiem
Florida segete fœcundabat:
Ita vilia quæque reddebat pretio non indigna.
Panormitanæ Sedis Canonicus,
Et Abbas SS. Ioannis, & Hermetis electus,
Dubitationem iniecit non mediocrem,
Vter digniùs appellaretur,
Hermesne patriæ, an Hermus.
Quanquàm vtramque sibi laudem demeruit,
Cùm totus vixisset aureus
Et moribus,& eloquentia: (tur:
Adeò vt Sicanus quãdoq; Chrysostomus nũcupare-
Scilicet vir Concha aurea satis dignus.
Nescias tamen vter vtri debeat magis,
Cùm ipse à Patria aureus esse didicerit,
Quam & ipse Musarum Horto ditatam voluit.

*N. N.*

## EPIGRAMMA.

VIncenti siquando tuis oblector in Hortis,
Auriferas tantùm palpebra spectat opes.
Aurea materies, stilus Aureus, Aureus ipse,
Aureum qui potis es fundere ab ore melos.
Quæque tibi Aurato rigat os cratere Panormus,
Gestit Mecænas Aureus esse libro.
Exclamare libet: Dum solùm hic fulgurat Aurum,
Hortos Hesperidum dicere quid prohibet?

*Ioseph Castellius Præfectus domus Nouitiatus Cler. Reg. Ministrantium Infirmis.*

EPI-

# EPIGRAMMATA,

## ET LYRICA.

### AREOLA PRIMA.

Eructauit cor meum Verbum bonum.
*Et Verbum Caro factum est.*

CVlpa prior, feros labe infectura nepotes,
Est Euæ, nondum matris, oborta sinu.
Virgo venena parit, sed non sine semine verbum
Concipit aure parens, quod dedit ore draco.
Pharmaca Virgo parit, dum Patris amabile Verbũ
Concipit; hæc melior Virgo, parensque simul.
Verbum ea corruptum, ista bonũ quia concipit, edit
Virus ea, ista virum; prima reum, ista Deum.

Abijt in montana cum festinatione.

QVem capere haud poterant immensa volumina cæli,
Si capit, est vterus maior vtroque polo.
Lumen vterq;aperit, claudit quoque Numen vterq;
Pandit vterque diem, celat vterque Deum.
Hinc festinato bene concitat impete gressus
Cæli instar, tanti Numinis ipsa capax.
Nobilius Cælum es, miseroque salubrius Orbi;
Dum mihi vel primum Mobile Virgo moues.

## In Diuum Ioannem Baptistam in vtero.

*Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.*

INsolitum pede Virgo abit in montana citato,
Cognatæ fœtam prole aditura domum.
Ex quo maternam diuus Sol ambijt aluum,
Hanc cæli in morem mobilis esse iubet.
Summo nempe viis egressus limine cælo,
Fertur humi Cælo nobilior Gigas.
Exultes vteri geminis tunc Vesper in vmbris,
Mox oriens tuum Phosphorus ante Diem.

## In Virginis visitatione ad Elisabet.

*Exultauit Spiritus meus in Deo, &c.*

*Exultauit infans in vtero meo.*

EX quo cōplexa es gremio Virgo innuba Numen,
Transiliens colles per iuga curris iter.
Ex quo Præcursor sterili genitricis in aluo est,
Hæret, & occursu prosilit ecce tuo.
Cognatæ nimirum animæ exultabis, & vnde
Virgo tibi exultat Spiritus, inde Puer.

Abijt in montana cum festinatione.

*Illuminare his, qui in tenebris: &c.*

VNde tibi celeres Virgo per inhospita gressus,
Ante insueta graues agglomerare gradus?
Fulgor vbi Auroræ montana cacumina inaurat,
Non tam præcipites voluit in axe rotas.
Ex quo nempe capax, & baiula Numinis ipsa es,
Facta mihi cœlum mobile, stare nequis.
Noctem vtero cognata gerit quia labis auitæ,
Hinc properas puero lampas amica diem.

In idem.

VIrgo citos glomera montana per inuia gressus,
Hac insueta tenus sollicitare gradum.
Quē capere haud poterat cœlū, capis, indue mores
Ergo Poli, & rumpas mobilis ipsa moras.
Sollicitus Polus est inimicam accendere noctem,
Inde gigantæis gressibus haurit iter.
Festina, accelera, migras prædarier horas,
Et Puero æternos anticipare dies.

## Gloria in Excelsis Deo, & in terra Pax hominibus. Lucæ 2.

*Gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42.*

PRinceps pacis, humo ac cælo vt consortia amorũ
Iungeret, obside se fœdera pacis init.
Bella quid ergo tonant, terrenaq; fulmina Martis:
Cur hominum passim flumina cæde calent?
Gloria rapta Deo, belli fit semen; ab astris
Si data Pax Orbi, gloria nulla data est.
Hinc Pax Orbe fugit: nisi Gloria reddita Cælo
Sit tua, Pacem Orbi restituisse nefas.

## Ortus est Sol iustitiæ Christus.

CLaudus eas, moriẽs annum ne claude Decẽber,
Sol nouus exoritur dum tibi, tu moreris?
Itque, redisque viam toties; moriensque, oriensque
Vt sis ipse simul, litera sola facit.
Literulam demas, oriensque, oriensque manebis:
Solem stringe tuum, semper, & exorere.

## Et inuenerunt Infantem positum In præsepio. Luc. 2.

DIuinis quia fortè epulis famulabere in aruis
Aurea quid tumidum tollis arista caput?
Ditior assurgit palea hæc, quæ pauperis auri
Cęspite, diuinum fulcit amica latus.
Tu tegis orbe Deum, Cereali in imagine mendax,
Ingenua hæc nudum dat sine nube Deum.

Al-

'Altissimus dedit vocem suam.
*Sonet vox tua in auribus meis.*

BEthlæis Dea vana loquens è rupibus Echo,
Nuper pastorum sueta referre sonos;
Quid nũc vocis auara taces Verbo hospite? quid nũc
Muta repentè silex vincta stupore siles?
Aude animosa Echo, gremio quod concipis antri,
Si valeas Verbum hoc edere, vera Dea es.

## Omen post constitutam Pacem.

*In terra Pax hominibus bonę voluntatis.*

ORta est exoriente Deo pax candida terris,
Regesque edocuit sidus ad antra viam.
Pax etiam Hispani sequitur natale Tonantis,
Ternaque cognato fœdere sceptra ligat.
Auspicijs Lodouice tribus, Leopolde, Philippe,
Vos Vaticano Sidus in axe præit.
O precor, ad cunas vt Reges sidus Eoos,
Sic trahat occiduos Numinis ad tumulum.

## Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur Puer, &c.

BElli eris, an potius pacis Deus? illicet infans
Haud venit pacem mittere, sed gladium:
En gladius, vulnus, sanguis, dolor, omnia belli
Instrumenta: Dei pax orientis vbi est?
Pacis amas segetem? venit hæc per vulnera messis,
Pax animo è sulcis corporis exoritur.

## In Christi Circumcisionem.

*Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. & Exod. 17.*

SI ferro icta foret, Mosi daret arida flammas
Petra, icta Virgæ quæ fluit in latices.
Christus Petra, dat huic culter non ferreus ictum,
Siccum igne, an liquidas hæc Petra fundet aquas?
Fudit utrumque, vinum fudit quia nempe cruorem,
Hunc cordis liquidas quis neget esse faces?

## In eamdem.

LAc Pueri è labijs stillat, de vulnere sanguis,
Et tremit in roseis lacryma prona genis.
Si bibat hanc tellus pluuiam, satiata resurgent
Lilia lacte, chymus rore, cruore rosæ.
Si concreta gelu, si frigore cuncta rigebunt,
Est lac bacca, adamas lacryma, sanguis onyx.
Si cælum attigerint, augentur sidera stellis,
Sanguine Mars, lacrymis Hydria, lacte Via.

## Magorum stella stetit supra vbi erat Puer.

*Inclinauit cœlos, & descendit. Ps. 17.*

STella recede solo, Polus est tibi patria: terram
Quid prope succedis Stella? recede solo.
At cælum Deus, ut descenderet, inclinauit:
Haud aliena igitur Patria, Terra tibi est.
Hospita sed pandit se Terra colonis cælo,
Iura vicissim habuit ciuica in axe solum.

Aper-

Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera. Matth. 2.

CVm Iani primis iuuenescas Anne Kalendis,
Pubescunt sexto cur mea vota die?
Vota mihi sunt terna, Magis tria munera, iungo hæc,
Vt senos æquent bis tria dona dies:
Hæc tria vota tribus Regum seruentur in vrnis,
Clausa diu: at soli fas aperire Deo est:
Pauperies auro sis condita, thure voluntas,
Myrrhæ in amaritie conditus esto pudor.
Conditus? haud satis hoc, breuis est ea syllaba, lõgũm
Sit mihi conditus myrrhę ab odore pudor.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe Puerum, & fuge in AEgyptum. Matth. 2.

DEsereris specus, & profugum patieris Amorem?
Nec sequeris? nec habẽt saxa reuulsa pedes?
Ad cursum lapides animasse Amphiona cantu,
Vagituque rear non animasse Deum?
Sic, vixere; iterumque dolore in saxa coacti.
Cùm voluere sequi, non valuere pedes.
Si nec viua sequi potis es, nec viua dolere;
At viuo doleas fonte perennè silex.



## DE EODEM ARGVMENTO.

CLaude aditum rupes, cæloque resiste iubenti,
Ne rapiat Puerum, quin rapiare simul.
Occule : nil curas ? satis est tibi nempe reuulsa
Tot tua saxa aris relligione coli.
Numen si occuleres, vt nunc pars insita templis,
Insita fortè polo tota cauerna fores.

## AD PVERI DEI LACRYMAS.

SI concreta genis hæreres lacryma, qualis
Ros matutino frigore vinctus hebet ;
Cuiusnam indueres radios, & fulgura gemmæ ?
Sardonychusne fores ? Indica bacca ? an onyx ?
Gemma polo, aut terris nusquam pretiosior esset,
Nec nisi certè Adamas à Deo Amante fores.

## Erunt aspera in vias planas :
## Et
## Meliora sunt vbera tua vino.

NVmen inexhausti biberet cùm Numinis haustu
Mente Patris, durum tunc iter ad Superos.
Sugit vbi niueam Genitricis ab vbere vitam,
Mollius ad Superos nunc aperitur iter.
Vbera sunt meliora mero, si Patris ad astra
Matris ab vberibus lactea facta via est.



PVER IESVS.

Speciosus forma præ rebus omnibus,
Ne dum præ Filijs hominum.

PVlchet Phœbus in axe fert iugales,
Pulcher Lucifer ardet igne Eoo,
Pulchra nubis in orbe ridet Iris,
Pulcher vnio in Indicis procellis,
Pulcher est, timidusque pallor auri.
Pulcher viuo Adamas nitet decore:
Pulchra argentea Lilij corona.
Vultus pulchrior est puelli Amoris
Phœbo, Lucifero, Iride, Vnione,
Auroque, atque Adamante; Lilioque.

DE IESV PVERO VAGIENTE.

HIc Puer est Cæli mihi viua patentis imago;
Candida frons aperit nobile lucis iter:
Aurea cæsaries Phœbus, sunt lumina stellæ,
Cynthia suaue rubens, fusus ab ore nitor:
Nubila mœstities, lacrymæ imber, somnus erit nox,
Rideat, vt redeat læta repentè dies.

Dilectus meus candidus, & rubicundus,
qui pascitur inter lilia.

In cæde Innocentum.

VErnantes hieme, albentes non India iactet
Sola rosas, subitus quas rubor inficiat.
Maius prodigium: lactentia lilia cunis
Cædis hiems primo in vere dat esse rosas.
Scilicet haud satis est pasci inter lilia Amorem,
Candidus ac pariter flos rubicundus Amor.
Tu tamen æternos aperis qui floribus annos,
Aprili mihi pro mense December eris.

 In

In argenteam Sanctissimæ Eucharistiæ sphæram à Purificatæ Virginis Sodalitio fabrefactam, singulis sphæræ radijs in stellulas erumpentibus.

VNica stella, Deo nascente, refulsit ad antrum:
Sole nouo solus Phosphorus axe nitet.
Hic quot habet radios, tot sol sibi sidera circùm
Fundit vbi argenteo conditur orbe Deus.
Hic Cereris sub nube, vitrique sub æquore sol est,
Lunula quem tegit argentea, & atra fides.
Sol nube, Eclypsi, vitreoque sub æquore, noctu
Accendit radijs sidera in orbe suo.

Cupiebat implere ventrem de siliquis, quos porci manducabant. Luc. 15.
E T
Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Ioan. 6.

FOrmarunt fera corda homines, vbi glande relicta
Perdidicit Cereris munera, prisca fames.
Iam Dodona vale, cælestia pabula Bethlem
Panis habet, melior quem dat habere Ceres.
Glandes si panis mutantur munere, Mundus
Mundior inde suos mittat habere sues.

EVCHARISTIAE POCVLVM,
AEstiua viatorum refrigeratio.

HIc vbi vicinæ cœnacula aperta Sionis
Nocturnam inuitant ad sua iura famem,
Se se epulum Deus ipse suis (noua fercula amoris)
Qua tradebatur nocte perenne dedit.
Hic noua diuinos vindemia miscuit haustus,
Vt biberet liquido è Numine nostra sitis.
Hospes adi: cella est vinaria. cara nimis Merx?
Des nihil, aut si quid vilius est, & emes.

IN EVCHARISTIAE INSTITVTIONEM.

EXagitant curæ sponsam, dolor opprimit acer,
Et gemit, & lacrymis nescit habere modum.
Quippe videt sponsum properare in regna Parentis,
Atque instare sibi flebile discidium.
Sponsi amor haud tantum potis est perferre dolorē.
Sedulus & quærit, quò leuet ipse modum.
Ergo suam effigiem statuit dare pignus amanti,
Pignoreque, ò mirum! clauditur ipse suo.

IN EVM, QVI EVCHARISTIAM INCENDI
Posse putabat.

PErfide quid properas? quò mens agitata furore
Spectat? quid trepidas? suscitat aura faces?
O scelus horrendum! Christo supponere flammas
Audet, & in cineres vertere posse putat?
En subito Christi spumantia membra cruore
Cernit, & exemplò concutit ossa tremor.
Tentat abire fuga: tellus fremebunda dehiscit,
Intentans mortem; nec tamen ille perit.
Scilicet vt vidit vitalis sanguinis vndam
Mors trepidum subitò retulit inde pedem.

## IN EVMDEM.

SVbdiderat Christo sceleratum perfidus ignem
Isacides: tantum perpetrat ille scelus:
Follibus vrget opus: tunc ignis percitus ira
Detorquet flammam, sacrilegumque petit.
Aufugit hic trepidus: fusa caligine fumus
Euadentis iter diripit ex oculis.
Sanguinis erumpit Christi de pectore flumen
Protinus, & flammas opprimit, atque fugat.
Num licuit flammis ex illo sumere pœnas,
Cui vitæ fluuius diluit omnes nefas?

## DE CRVCE.

MAchina, terrigenas cælo illatura Gigantes,
De cælo (vt prisca est fabula) tacta ruit.
Machina crux tuta est, quæ monte extollitur alto:
Appetere hinc cælum pumilo quisque potest.

Non arbor vitæ fuerat; sed mortis, acerbis
Mixta simul malis; quæ mala cuncta tulit.
Vitæ arbor sterili mortis fuit insita trunco:
Hinc pendere sibi non sua poma videt.

Vita hominum ratis est, pelago iactata malorum:
Ite rates tutæ, crux Cynosura polo est.
De Styge flat Boreas, Veneris furit æquor amorum?
Crux tibi fit dubio tramite certa salus.

De eadem
## AD PVERVM IESVM.

CHriste quid ætatem numeras, annosq; morantes,
Et quereris lentis passibus ire crucem?
Hæc mora nempe crucis crux, est cruce amarior, vt sit
Crux desiderijs dulcior inde tuis.

## AD EVMDEM, DVM LIGNARIAM EXERCET

VNus amor, cura vna Deo fuit vsque puello,
Optatæ in speciem iungere ligna crucis.
In cruce totus amor; nostræ quia cura salutis,
Cui non cura Crucis, nulla salutis erit.

## DE CRVCE.

CRux olim obscuris arbor mœstissima siluis;
Fit modò vitalis planta beata necis.
Qualis erit tanta pendens ex arbore fructus?
Ipse Deus pendens è cruce fructus erit.

## DE EADEM.

CVr nitidum subita tegitur caligine cælum?
Sol moritur, Patris solis imago, Deus.
Hinc oritur geminum nocturna de cruce sidus:
Altera stella fides, altera stella salus.

Dissecor in tenues fœcundo vulnere partes,
Innumera vnde Crucis fragmina mundus habet:
Inque suam fragmenta crucem si nostra coirent,
Crux eadem in plures esset adulta cruces.

Segmentum crucis est, curuo quod poplite adoras
Quodque pia supplex relligione colis.
Exiguum mole est, ingens virtute: sinapis
Quis sciat an granum hoc excutiat lacrymas?

Non satis est laniasse Deum. Gens impia, hianti
Sub tellure crucis quid decus obruitis?
Mundi thesaurus crux est, pretiumque salutis;
Thesaurosque suo terra tegit gremio.

Alma salus moritur, viuitque ex arbore mortis,
Arbor compensat damna parentis Adæ.
Virgultum Iesse postquàm radice recisum est,
Insitum ab arborei vulneris arte viret.

Te quibus ô Crux alma putem radicibus ortam?
Est ne oleæ, an palmæ stipes? vtrumque reor.
Nempe olea est; hominum duros miserata labores,
Palmaque, deuicta morte, trophæa parit.

Iure vbi fixus Amor vitali morte pependit,
Crux è supplicio vertitur in solium.
De cruce lex vetuit, posthac pendere nocentes,
Ne ferat illa reum, quæ tulit ante Deum.

Olim diuino crux viua rigata cruore,
Arida nunc arbor stipes inanis erit?
Æternos iterum referet, licet arida fructus,
Si fuerit lacrymis fortè rigata tuis.

Optatas libitina neces, & funera cernis,
Iam sibi gens hominum de cruce funus amat.
Poma dedit mortis primo vitæ arbor in horto,
Dat crux vitales Arbor amica neces.

IN

## IN EAMDEM.

DE cruce pēdet amās, quia crux dignoſcit amātē:
Nec benè tutus amat, ni cruce pendet amor.
Lydius ergo lapis crux eſt pro pectoris auro:
Corda an ament, optas noſcere, iunge cruci.

## DE EADEM.

APpulit en Siculas Romano littore ad oras
Trabs metuenda Erebo, trabs venerāda polo;
Inde ad Montanam pia trabs vt nauiget Vrbem,
Dent lacrymæ æquoreas quas bene findat aquas.

## HERACLIVS VESTIBVS REGIIS DECOratus Crucem ferrè non valet.

PVrpureo Heracli cur inſigniris amictu?
Nempe oneri vt ſubeant regia terga crucis;
Ni diſcas ore, atque habitu Rex eſſe dolorum,
Crux alio haud patitur Rege humeroque vehi.

Heracli fixo tibi pes præcedere greſſu
Si nequit, exortas hinc reor eſſe moras:
Crux humeros Christi poſcit ſibi: tu gere Chriſtum
Ergo habitu, inde geres Rex ſine Rege crucem.

## AD CRVCEM.

HOſpita trabs lethi quondam, nunc hoſpita vitæ
Arbor enim crux eſt, vita habet inde dapes.
Non opus eſt Cerere ad vitam, non flumine poſthac;
De trabe nempe cibus, de trabe potus adeſt.

## AD EAMDEM.

DVx olim populi fuit ignea nocte columna,
Vmbranti obducta est feruida nube dies.
Tegmen adest melius, melior preit axe columna,
Vmbra die crux est in tenebrisque dies.

## ELOGIVM EIVSDEM.

CRucem sibi Christus substituit genitricem,
Cùm Virginem discipulo commendauit.
Ab alia scilicet matre voluit adoptari,
Quæ conciperet, ac pareret cum dolore.

## ALIVD.

QVi Crucis lignum esse creditis
O Iudei scandalum, ò Gentes stultitiam,
Vestris prius ex oculis trabem eijcite,
Tunc profectò crucis festucam amabitis.

## ALIVD.

GRaue quondam reorum humeris onus,
Regijs iam frontibus honor extollitur.
Quod dedecus bene degenerauit in decus,
Diuini Sanguinis ars chymica est.

Quæſitum eſt an in carmine, Dius Amor &c. poſſet dius fieri monoſyllabum per ſynæreſim ? ob defectum auctoritatis requiſitæ negatiua reſponſio ſit.

EST Ignis, nequit in glaciem concreſcere inertem
 Dius Amor; quin, hoc ſoluitur Igne, gelu.
Eſt Ales, renuit necti ſibi vincula, torpet
 Abſque alę alterutro remige Dius Amor.
Terrenus quamuis ſit captus lumine, Dius
 Eſt gemina ſemper luce oculatus Amor.

Diuerſi Auctoris pro affirmatiua ſententia reſponſio.

TE malè nouit hebes, cui non ſis ignis, & vnda;
 Concreſcitq; liquetq; ardet, & alget Amor.
Dius Amor ſoluit quæ frigore corda gelaſcunt:
 Ne male ſoluantur, Dius quoque cogit Amor.
Explicat ille alas, retrahit, tarduſque, celerque;
 Et volat, atque moras Dius ſibi nectit Amor.
Si fors te gemino pigritantem lumine terret,
 Blanditias faciens Dius quoque nictat Amor.
Te male nouit hebes, qui formæ addixerit vni:
 Cæleſtis Proteus, ignis, & vnda Amor eſt.

SI quis forte queat, quidni sibi stirpis honorem
Eligat, & claros nolit habere patres?
Si voluit, valuitque Deus de Virgine nasci,
Matrem ancillam Erebi quis voluisse putet?
Stulte vel ignauum fingis, vel debile Numen:
Si potuisse putas, quid voluisse negas?

## IN EVMDEM.

INtactâ procul esto lues à Virgine, foedum
Conteret illæsis gressibus ipsa caput.
Nondum iecerat ima Deus fundamina terræ,
Clauserat amplexu nec mare littoreo:
Nondum sidereos celum deuoluerat orbes,
Et concepta Parens mente Tonantis erat.
Sola est posteritas maculanda: hæc criminis expers,
Si patribus maior, si prior orbe fuit.

## AB AETERNO ORDINATA SVM.
Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.

HVmanis transfusa animis ab origine pestis,
Pœna parentis ea est, & pereuntis Adę.
Ergo immunis ego: tot montibus aspera nondum
Constiterat mundi machina mole graui.
Nondum lege Deus certa vallarat abyssos,
Presserat indomito nec sua frena mari.
Nondum sidereos accenderat Hesperus ignes,
Et concepta ego iam mente Tonantis eram.
Postera si soboles maculanda, ego criminis expers,
Orbe prior, maior patre, coeua Deo.

## POST PARTVM VIRGO INVIOLATA PERMANSISTI.

FInxit, apes olim Dictęo Creta sub antro
  Cælesti puerum rore aluisse Iouem.
Inde fuit merces apibus noua gloria, prolem
  Virgo vt conciperet, virgo apis vt pareret.
Vberibus cælo plenis Apis innuba Iesse,
  Numen in antro aluit non modò, sed peperit.
Diuinam partu violatam rere Parentem,
  Si tanti est, tantum pascere posse Deos?

## In Virginis Assumptione. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.

VIrgo sepulcrali rediuiua è marmore, nubes
  Prætergressa, humilis deseris ima soli.
Dumque suprema subis victrix capitolia olympi,
  Iam super æthereos iure locanda choros;
Obsequio sinuosa aperit sua viscera Phœbe,
  Excipiat dominos vt famulata pedes.
Astra tuas bissena comas obeuntia in orbem,
  Virgineum stipant ambitiosa caput.
Ipse coruscantem sed quid tibi texit amictum,
  Staminaque è radijs nectere Phœbus amat?
Fœdera num Phœbus, Phœbeque, & sidera iungunt?
  Nec tam vicino sidera sole latent?
Nempe diem, noctemque simul complecteris vlnis,
  Nec nox absque die est, nec sine nocte dies.
Ergo aurora inter confinia lucis, & vmbræ,
  Si media es, tenebras discute Virgo meas.
Quin mihi si binos frontis des cernere soles,
  Non timeat tenebras sic geminata dies.

## In Coronatione Virginis.
## Et in capite eius corona Stellarum.

FVlgida certatim, & redolentia serta laborant,
Floribus, ac stellis hinc polus, inde solum.
Gratus vtrinque, at vanus amor: sat lilia vernant,
Sat mihi Virgineo ridet in ore rosa.
Vosque astra ad crinem propiùs ne accedite, crinis
Ni cupitis flauo à sole hebetata mori.

## Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ Marc. 6.
## Iniqua mercimonij commutatio.

EMicat, & choreas sequitur caput ense recisum,
Quod sterili exultans emicuit gremio.
Ergo ne venali potis est mercede pacisci,
Et choreæ pretium pes petijsse caput?
Pro pedibus caput est? lucro quid iniquius isto,
Res vbi summa imo vendita sit pretio?

## ALIVD.

STulte Amor, ima pedum tanti facis? ergo emis alto
Humani pretio verticis ima pedum?
Cæcus, emis? caperis; plus æquo, haud debita soluis;
Emptaque merx pretio non datur æqua tuo.
Pro pedibus caput? ah! lucro quid iniquius illo?
Infima merx summo vt vendita sit pretio?

# In diui Ioannis Baptistæ mortem.
## Quis putas puer iste erit?

QVis foret iste puer, iam quæsiuere Parentes,
Exortus simul est cum puero genius.
Tunc exultauit materno in carcere vitæ,
Nunc choream extremo in carcere mortis amat.
Quisquis es è disco morientis disce, supremos
Affines primis currere sæpe dies.

## IN EAMDEM.

EXultans traxisti vtero primordia vitæ;
Vitam vbi mortales excipiunt lacrymis.
Ipse tibi saltus rapiet pro munere vitam,
Vt deuota caput victima sit pedibus.
Finibus apta suis sunt sæpè exordia, vitam
In choreis habuit, perdidit ad choreas.

## Diui Ioannis Baptistæ mors exultans.

TAnta ne fœminei meruerunt præmia saltus,
Audeat vt pretio planta referre caput?
Scilicet exultans choreas Puer edidit olim,
Cùm cæcos vtero duceret ille dies.
Virginis ante pedes saltantem in viscere c. o Iam
Virginis ad choreas non tenuisse mori.

# Diui Ioannis Baptistæ mors adhuc facunda.

## Ego vox clamantis in deserto.

CLamantis quia vox vetitos obiurgat amores,
Vox rea facta, pedum victima, trunca silet.
Dimidium Regni, Monitoris præ nece spernis?
Dimidium at Vocis mœcha monentis habes.
Displicet integritas vocis clamantis? at Echo
Trunca licet Vocis, posthuma clamat, amat.

## IDEM.

## Quid petam? caput Ioannis Baptistæ.

OBiurgat nostros, quia Vox clamantis amores,
Vox rea fit capitis, trunca fit, vt fileat.
Dimidium Regni sperno, magis eligo Vocis
Dimidium, cuius displicet integritas.
Erras, dimidiata licet, tamen integra Vox est,
Cuius & ipsa Echo posthuma clamat, amat.

## EIVSDEM CAPVT TRVNCVM.

## Fons aquæ viuæ salientis in vitam ęternam.

EStne caput pedibus pretium saltantibus aptum
An capiti merces apta fuere pedes?
Gestijt exoriens vitali in carcere matris
Clausus adhuc, choreas ducere sponte Puer.
Nunc deuota cadit saltantibus hostia plantis,
Lethalesque caput truncum abit in choreas.
Nonne fluens caput hoc sterili de pumice ventris,
Viuus aquæ ad vitam fons salientis erat?

In

In mortem Diui Ioannis Baptistæ.

Rex ait puellæ.

Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium Regni mei.

QValia maluerint saltantes præmia gressus ?
Eligit abscissum moecha petitque caput.
Dimidium regni potius tibi posce puella;
Da capiti, pedibus serta redempta tuis.
Stat voluisse caput ? sapit improba: Regis amantis
Sic totum, & tutò possidet imperium.

Conuersus Iesus respexit Petrum, & Petrus fleuit amarè.

MOEroris de nube dolens sic Christe negantem
Respicis, vt tacitum fulgur ab ore tonet.
Nonne Petra ignitis obtutibus icta resolui
Debuit in cineres; quid sibi fudit aquas ?
Arte pari extinguens ignita pericula, binis
Bina quoque opposuit flumina fulminibus.

DE DIVO BARTHOLOMAEO.

Pellem pro pelle. Iob 2.

PRudentes estote instar serpentis, in aruo
Reptilis hic senium ponit, & exuuias.
Sic hebetes acuens annos, per stricta locorum
Nititur; vnde nouo pubis honore nitet.
Quàm bene serpentem prudens agis ? en tibi Petra
Detrahit exuuias, & Petra Christus erat.
AEternos sic nempe senex adolescis in annos,
Mox pro pelle tua, sol tibi pellis erit.

EIVSDEM VIATORIS INDVSTRIA.

Quàm angusta porta; & arcta via est quæ ducit ad vitam!

CAEli iter aggrediens, toto de corpore pellem
Pello libens, nè sit sarcina, ne sit obex.
Planitiem ventris quibus ò distendere cura est,
Atquæ animæ viuas amplificare domos;
Creditis augustam cælestia ad atria portam?
Angusta ad vitam ianua, & arcta via est.

## Ad Diuum Thomam Apostolum.

Et post dies octo venit Iesus, & Thomas cum eis.

INfer age huc digitũ, & digito mea vulnera claude:
Optasti hasce manus tangere, tange manus.
Mitte manum in caueam lateris, fideique recumbat
Captiua obsequijs victima perfidiæ.
Sic tonuit grauis ore Deus, sed amabilis: hinc tu,
Ah! Dominus, clamas, & Deus ipse meus.
Agnus erat, mundi iam cæsus origine; fregit
Hinc subitò Didymi in corde adamanta cruor.

# CONCLVSIO PHILOSOPHICA.
## à Diuo Laurentio propugnata.
## Ad Eumdem.

FOlle lacessitus, satis excandescie in iras
Ignis, vbi Phœnix non moriture iaces.
Quid tibi cor pariter suspiria ventilat; ac si
Irritet pigras ore, acuatque faces?
Exanimaris, & ignem animas à sub Amore magistro
Passa repassa eadem pars agit, & reagit.

## Eiusdem philosophicum examen ad Magisterium.

Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Ps. 16.

HAsce theses physicas, reor has transcēdere legē
Naturæ ignita quas sapis in cathedrà.
Obijcit ille membra igni; obiecta retorques
Tu contra: hinc hosti; Versa ais, & comede.
Sic studuisse decet, subiturum examen amoris,
Argumenta magis mirer, an ingenium?
Certatum satis est, suffragia plena: solutus
Gymnade, Doctor abi, laurea viua tibi es.

# De S. Vincentio Martyre ad Tyrannum.

ATHletam flammis quem non peruincere speras,
Sparso flore iubes quid recubare toro?
Floribus inflecti demens num rere tyranne,
Quæ mollire focis pectora non poteras?
Flammæ illæ flores fuerant, quibus ante vigebat,
Et potes hunc florum vincere blanditiis?

## DE EODEM.

CVr Daciane viro flores effundis olentes,
Qui constans tulerat verbera, tela, faces?
Scilicet heroëm de te retulisse triumphum
Insignem donis ipse fatere tuis?
Atque vt vincenti religentur stemmate crines,
Das florem, sibi quo texere serta queat?

## DE EODEM.

MArtyris haud vitam quæris Daciane, sed atram
Illi moliris perfide prædo necem:
Ignibus ereptum strato in florente reponis,
Instruis & verbis mollibus insidias,
Inter enim tormenta viget Vincentius: ergo
Si tormenta moues, cogitur ille mori.

## S. Alexander carbonarius igne crematus.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.

SVetus Alexander ramoſa cadauera ſiluæ
Vertere in AEthiopis pabula nigra foci;
Mutatis vicibus, nunc ipſe incendia nutrit,
Vnde igni ſupplent oſſa cremata dapes.
Felix ò nigris qui pro carbonibus, albis
Oſſibus ad luxum paſceris ignis edax!
Tam pretiosè ardens, carbo, an carbunculus ille eſt?
Carbonaria non ars ea, chymica erat.

## Exilio in S. Baſilium ſcribendo Imperatoris Valentis manus inualida.

AVde, ſcribe manus, glacie eneruatis inerti,
Scribe age Cappadocis Prçſulis exilium;
Mutentur calami roſtris melioribus, affer
Inſcribi docilem nigra elementa niuem.
AEthiopes ſatient atramentaria riui,
Vt facilis liquidà littera nocte fluat.
Inſtrumenta magis culpanda, an dextera? ſtulte;
Scribere conaris; ſed ſcelus eſt cheragra.
Nempe nigro è pelago Torpedinis ipſe venenum
Piſcaris calamo, pennaque pœna tibi eſt.

## Diui Benedicti Castitas.
### Lilium inter spinas.

FOrtè Rosam vngue Venus dum carperet, illa momordit
Vepre pedem: alba olim, sanguine tunc rubuit,
Carperet hunc etiam florem Venus ipsa pudoris,
Ni simili prudens se tueatur ope.
Hinc procul este manus Veneris: sola haud rosa, deinceps
Lilia sunt veprium septa satellitio.

## Diui Dominici in fronte stella:
## Diui Thomæ Aquinatis in pectore Sol.

VEste tua horarum iungis confinia, noctem
Exteriore gerens, interiore diem.
Hinc dubiũ, Vesper magis, an sit Phosphorus Astrũ,
Quod Guzmane tibi frontis in axe nitet.
Sed si ponè Ducem sequitur te, pectore Aquinas,
Sole calens, stella huic prævia Lucifer est.

## De S. Thoma Aquinate.

POstquam hoste victor Thomas dare terga coëgit,
Ambustaque procax fœmina victa fude est;
Soluitur in somnos languens, zonaque nitenti
Ecce manu Aligerum membra ligata videt.
Hinc discede Venus, procul i, procul esto nefanda:
Soluitur haud zonam, cingitur hic iuuenis.

## Ad Diuum Franciscum ab Assisio.
Stigmata Domini mei in corpore meo porto.

A Planta pedis ima ad verticis vsque cacumen,
Pars nulla in Christi corpore cæde vacat.
Vulnera vulneribus feriuntur, sanguine sanguis
Concrescit, plagis plaga, dolore dolor.
Tu mihi diuini vestigia quina doloris
Sola refers? reliquo è vulnere vulnus vbi est?
Posthuma sis Echo Verbi morientis imago:
Sic lacera aptè iteras vltima signa necis.

## De S. Philippo Nerio apud Montem regalem culto in aede B. Virginis ab horto.

AVrifera haud iactent veteres pomaria Musæ;
Regius Hesperidum quã tulit hortus opes.
Lilia nempe auro tua sunt redimita Philippe:
Candida, Virginitas; aurea fecit Amor.
Flos colis, & coleris, regali in Monte Patronus:
Diues Vere tuo regius hortus erit.

## De Eodem.

SIdereo tibi mens alitur de lacte Philippe;
Vnde sub intacto lilia corde virent.
Lilia sunt florum regalia germina, & aptè
Regali pietas lilia monte colit.

# De Eodem.

REgalis iuga Montis adi flos cădide in hortum,
Te tua Flora suum, candida Virgo vocat.
Iamdudum, ò nostri memorabile pignus amoris,
Te inseruisse suis floribus Hortus amat.
Ver hic perpetuum viuent tua lilia Neri:
Hic mihi mutato flore Amaranthus eris.

Ver age quid cessas? quid lilia casta moraris
Reddere, queis Nerij corda beata fragrant?
Plebs pia cælestes vt Lilij adoret odores,
Hortulo in hoc longas discet amare moras.

Virginis ad templū, cui nomen, & omen ab horto est,
Rite Patronus amat Nerius Vrbe coli.
Aptum nempe suis natalibus eligit hortum
Natus florenti flosculus vrbe Puer.

## In Eumdem.

## Fulcite me floribus, quia amore langueo.

ÆStuat igne suo Nerij dum pectus amantis,
Ferret opem Nereus, sed maris vnda parū est.
Vicino de corde ignis nutritur amoris,
Suspirat frustra, flamme fax alitur.
Obstantes disrumpe citò vis ignea costas,
Nam præfocato rumpitur igne focus.

## De Eodem.

### Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

NOn ita ferratis diſſolui nexibus optat,
Quem rigida vinctum compede carcer habet:
Non ita barbaricis exul longæuus in oris
Ad patrios ardet poſſe redire lares:
Nerius vt ſuperas appellere anhelat ad oras,
Hinc clauſtrum abrumpit pectoris ignis Amor.

Albicat intacto cordis candore Philippus,
Virgineaſque ſibi pectore lactat opes.
Quotquot agris vernant ſeu lilia, ſiue liguſtra,
Argento nuſquam candidiore vigent.
Horto Virgo tuo claudas mihi molle liguſtrum;
Nec deerit tota ex vrbe colonus Amor.

Hunc niueum, ſua quem peperit Florentia florem,
Oſtro cùm voluit Roma rubere ſuo;
Abnuit, albenteſque, inquit, ſola India flores
Mittit, qui proprio ſanguine ſponte rubent.
Romano numquam rubeat mihi candor ab oſtro:
Si datur Inda mihi purpura, non renuo.

Aut Polus, aut populus viuentis corda Philippi
Detinuere: polos nunc beat, & populos.
Flos niueus ſtellante Poli ſi vernat in horto,
Quà madet aſtrifero candida lacte via;
At tua, Virgo, etiam, colitur qua Nerius ædes,
Alter ſiue hortus, ſeu Polus alter erit.


Neri quid nimias animi depellere flammas
Frigore, dum Boreas sæuit ab Axe illudes ?
Num potis est glacies hebetare incendia cordis ?
Quam premis, augeri frigore flamma solet.
Pande aditum, tanto quà rupta est costa calori;
Aut si vis vitam claudere, claude faces.

Lilia nobilius cultis nascuntur in hortis,
Quàm quæ per valles nutrit apertus ager.
Hortus conclusus Virgo es; sunt corda Philippi
Lilia; erant horto iure colenda tuo.

AEstuat, & puro tabescit ab igne Philippus,
Ignemque æterni Flaminis aura fouet.
Lilia nil timeant, cordis vicina ligustris;
Scit seruare suam pectoris AEtna fidem.

## Diuus Ignatius ex claudo cursor.

PAmpelo concutitur Galli dum turbine Martis,
Mœniaque, excusso milite, nuda tremunt;
Turris apex belli laceratus fulmine aheno,
Te Loyola Ducem, cruraque Ibera ferit.
Arx quassara ruit, non gloria: nempe cadenti
Est hostile tibi vulnus amica salus.
Claudus, Olympi Alpes superasti: in agonis arena
Quis tecum læsa ò tibia currat iter?



Viuit amore, perit diuino semper amore,
Vt viuat moritur, sed sine morte perit.

## De Eodem.

DEmergit sese gelidis Ignatius vndis,
Duraque præ nimio frigore membra rigent:
Nec deuicta gelu cœlestis flamma refugit;
Quin magis in summo frigore feruet amor.
Sed quamuis mordax concretos permeet artus;
Cùm magis insistit, tunc magis illa viget.
Frigore quin multo collectis viribus, ardor
Continuò vitam feruidus eriperet;
Illi ni doctus miles, cupidusque laborum
Fletibus obsistat, frigora rore leuet.

Læta Venus Iuuenis subter præcordia viuit,
Et miserum in summum pertrahit exitium.
Hanc tamen extinxit gelidis demersus in vndis
Loyola, & cœptum voce retraxit iter.
O quàm vera videt mundus portenta! Dione
Edita aquis primùm, nunc perit inter aquas.

Ah quid ego aspicio! cur tu te mergis in vndas
Loyola? ex oculis cur fluit vnda tuis?
Cor Iuuenis labes fœdarat, adusserat ignis:
Hanc lacrymæ purgant, lenit at vnda faces.




Ardebat iuuenis vesano agitatus amore,
Ac tendebat iter perditus ad Venerem;
At longè maiore flagrans Ignatius igne,
In gelidum sese misit ad ora lacum.
Dic age cur Loyola, faces vt turpis amoris
Extinguas penitus, frigida stagna petis?
An quia sæpè sibi prosunt aduersa vicissim?
Sic tua flamma viri vincet adaucta faces.

Infelix ardet iuuenis, cælumque perosus
Præcipiti gressu turpia lustra petit:
Ardet, & idem alget: turpi pars altera feruet:
Altera pars animi friget amore pio.
At contra Ignati medio demersa rigebant
Membra lacu, diuo pectus at igne calet.
Cuius vbi lacrymas, mediaque tonantia ab vnda
Accepit iuuenis verba, reflexit iter.
Quàm citò feruentes lacrymæ soluere rigorem!
Extinxere malas frigida membra faces.

## Ad Iuuenem à libidine retardatum.

Siste: tuæ esuriens inhiat Loyola saluti:
Mersus in amne tuas ille sitit lacrymas.
Siste arbor fugitiua, optatos porrige fructus,
Loyolæ toties fallere sueta famem.
Flecteris, atque auido tandem das poma? beatus
Haud frustra esurijt Tantalus inter aquas.



Diuinis animum intendens Ignatius, imis
Sensibus abreptus frigida membra fugit.
Accurrunt populi, densum fluit vndique vulgus,
Nec vidisse sat est, vsque videre iuuat.
Creditur ad Superos penitus migrasse Penates,
Mœrentesque virum iam tumulare parant.
Lumine at octauo frigentia membra reuisit;
Res noua, & antiquis abdita temporibus.
Tum veluti dulci somno, placidoque solutus,
Mellite, ah, Iesu quàm mihi dulcis! ait.
Viuebam melius tecum propè mortuus, at nunc
Infelix morior, cùm data vita mihi est.

## In obitu Diui Ignatij.

Sidera aspicienti sordet humus Ignatio:
Mortui in tumulo, vbi visa sidera,
Stellata Tellus alloquitur eumdem.

Sordet humus, fugis inde tuū vagus ignis in Axē?
Siste: erit hæc cælum, quæ tibi sordet humus.
Sordida eram tellus oculis lustrantibus astra,
Clausis morte oculis, in tumulo astra nitent.
Astra polo eripui, cùm tu mihi raptus Apollo;
Respice, cæli instar sordida terra tibi est.

## In librum Exercitiorum Spiritualium Sancti Ignatij Loyolæ.

Exiguus mole est, ingens virtute libellus,
Ceu minimi punctum seminis inter olus.
Clausit in hoc fortasse suos Ignatius ignes;
Si feris, est arbor; si teris, ardor erit.
Præ manibus friget, tritum ore ita mordet, & vrit
Acriter; vt lacrymis vi trahat ex oculis.
Crede mihi, est miræ semen virtutis: adhucne
Ambigis, hoc granum sitne sinapis? ede.

## Diuo Francisco Borgiæ, Oblatam à Pontifice purpuram recusanti.

VT tibi coccineo saturentur murice vestes,
Roma offert, auido nec tamen ore bibis?
Quin pia fastidit pretiosum nausea potum?
Ergo repleta tua est satque superque sitis?
Disce medelam, Itali malè sana hydropisis ostri;
Plenius hæ satiant, ni sitiantur aquæ.

## Beati Aloysij calcaria, Noua cruciatuum instrumenta.

AVla negat? vetitas supplent calcaria pœnas,
Gonzagæ hinc mordent sidera bina latus.
Sed tibi dum reperit puer instrumenta dolorum
Arte noua, est puero dulcis & ipse dolor.
Siccine? quis modò carnificem te fecit amantum?
Factus es, vt doleas, ingeniosus Amor.

## Astrologicum portentum, Noua in cælo sidera, Calcaria B. Aloysij lateribus infixa.

VIrginei lateris via lactea sanguine fusa est?
Astra ea portendunt tam rubicunda necem.
At non astra putem calcaria seua, cometas
Esse rear, lateris bini in vtroque polo.
Si tamen insueto non sunt errantia cursu,
Astra ea sunt; fixus stare cometa nequit.
Incorrupta Poli, & Pueri sunt membra pudoris
In firmamento sidera fixa ea sunt.

## De Beato Aloysio, latus calcaribus premente.

SIste vrgere Puer teneros calcaribus artus,
Mollia ne liquidis lilia læde rosis.
Quòd si tantus amor præeuntem prosequi Amorem,
Ipse alas animo suppeditabit Amor.
Vos tamen ò pluuio cadiantes sanguine stellæ
AEtheris in stadio mi stimulate moras.

## Ad Beatum Aloysium, Calcarium stellulis latus vrgentem.

ARte noua latus innocuum calcaribus vrges
Gonzaga, æthereum currere doctus iter.
Forsan vt astrigeras citiùs rapereris ad oras?
Siste gradum, & propius te tibi cælum habeas.
Dum tenera lateri ferrato sidere plagas
Sidereas aperis, corripis ipse plagas.

## Ad Beati Aloysij calcaria.

IN puerum sæuis geminata cuspide calcar,
Nec pudet innocuum dilacerare latus?
Ah! quid adhuc retines flagranti in sanguine suetam
Duritiem? nonne est humida flamma cruor?
Si potis est flammis ferrum mitescere, calcar
Exue duritiem sanguinis igne tuam.

## Beati Aloysij calcaria lateribus infixa, Religiosæ desidiæ incitamentum.

ÆTheris in stadio superas dum currit ad oras,
Gonzagæ stimulat ferrea stella latus;
Quàm meliùs sociata forent calcaria stellis,
Infigi Arctoo sidera digna polo!
Sunt ibi, quæ stimulis egeant vel sidera, eodem
Fixa; licet spatijs irrequieta suis.
Qui malè cælum ambis, piger ò tibi disce Bootes
Sidereis stimulis solicitare moras.

## De Beato Aloysio Gonzaga.

PRima ætate puer metam iam proximus ambis?
Inde manu victor præmia certa feres.
Quid Gonzaga ergo stimulos sub pectora vertis?
Currere non satis est, exiluisse iuuat.

## In Eumdem.

CAndide ne timeas fluuios Gonzaga furentes,
Nam niueus tutò flumina tranat olor.

## De Eodem.

DVm fessus iacet in molli Gonzaga cubili,
Et teneros artus occupat alta quies;
En audax flammis serpit torrentibus ignis,
Et peredit casti ditia fulcra tori.
Iamque magis flagrans iuuenis contingere corpus,
Et pia paulatim membra vorare cupit.
Flamma quid aggrederis maiorem vincere flammam,
Quam Ticinus aqua vincere non potuit?

## Beati Stanislai Diuino ex Amore deliquium.

QVò mihi plura sinũ gelida hęc fomẽta medẽtur,
Vt cordi viuas temperet vnda faces;
Interior magis AEtna mihi succenditur, hostem
Cogente ad penitos obsidione lares.
Sic rorante madens aspergine suscitat iras
Ignis, sic puteos frigida adurit hiems.
Sistite: siquid opis cordi meditatur; amoris
Vel facibus flammas addite, vel morior.

## De B. Stanislao Kostka.

QVòd profugus patria, atque ignotus Alexius vrbe
Erraret, nomen grande sibi peperit.
En tibi magnanimum renouans exempla Polonus
Heroum, longam corripit vrbe fugam.
Sed facinus KostKæ magis admirabile, dulces
Quòd liquit sedes ille vir, iste puer.

## De Eodem.

EN iacet ætherei iaculo percussus Amoris
KostKa, & cælesti conflagrat igne puer;
Et vetat infusis extingui fontibus ignes:
Hisce, ait, in flammis viuere, dulce mihi est.
Auge dulcis amor, si vis me viuere, flammas:
Si lenire iuuat, da citò Christe mori.

Flet puer; & lacrymas emittit pectore ab imo.
Luminaque assiduo turgida rore madent:
Dumque gemit, feruet diuino incensus amore:
Sed qui conueniunt ignis, & vnda simul?
An quia dum succensa igni pia corda liquescunt,
Vbertim ex oculis diffluit ille latex?

## De Eodem.
### Ad Paulum fratrem.

COngestis crebrò germanum vincere probris,
Et cordis flammas pellere posse putas?
Falleris; ardescit pueri sub pectore fornax:
Flumina nec possunt debilitare faces.
Sicut sparsa leui crescunt incendia rore,
Sic amat iste rogus crescere ludibrijs,

## In Eumdem.

ÆGer KostKa iacet, cælique accenditur igne,
Exedit & crescens pectora flamma magis.
Ast epulum clari Aligeri cæleste ministrant;
Et pascunt auidum pectus, & os pueri:
Pane leuant morbum; recreant præcordia lympha:
Proh mirum! ex isto flumina pane fluunt.

Ad

## Ad Diuam Mariam Magdalenam. Vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum, &c.

Cede profanatis melior iam Magdala tectis,
Desere flagitii conscia tecta tui.
Linque moras moresque, auidum inuentura Tonantē,
Affer conuiuæ fercula digna Deo.
Ille tuas lacrymas sitit inter pocula, amara
Si lacryma est oculis, dulcis in ore Dei est.
Esurit ille inhians inter conuiuia, nempe
Plus tua corda, dapes quàm saturantis amat.
Fercula non insulsa forent tua corda, dolendo
Si sapiant, & Amor si coquat igne suo.

## Maria Magdalena Lacrymis cœpit rigare pedes eius.

More maris lacrymæ exundant, vbi Magdalæ amara
Tempestas Dominos fluctuat ante pedes.
Pes tibi Christe, vias suetus calcare marinas,
Quid nunc fœmineis cedere visus aquis?
Tunc tua, nunc Mariæ stupeo miracula: amat pes
Magdalio mergi in gurgite, dulce mare est.

INgratis plorat Veneris combusta fauillis,
Quæ potis est forma vincere fortè deam.
Anne Venus Venerem flamma vis perdere? gaude:
Nam gestas oculis, quo perit illa, rogum.
Scilicet vnde fluunt cuncta, huc resoluta feruntur:
Sic lacrymis pereat quæ mare nata Venus.
Vndas da, Veneris quæ sunt elementa nefandæ,
Si lacrymas soluis, soluitur ipsa Venus.

Heu! quàm longè aliud fallax coma munus obisti,
Quàm nunc ad Christi iam resoluta pedes!
Tu iuuenum sæuis nectebas pectora vinclis
Impia, tartareo discrucianda lacu.
Nec Dominam pariter mactari sæua videbas.
Heu! quoties alijs funera seua dabas.
Nunc pia non homines, sed Christũ astringis amãtẽ;
Sic mecum in vinclis vita reuincta manet.

Heu! nosti vt nimium falsa inter gaudia tempus
Egerim, & vt tulerit per loca senta furor.
Nam rebar florem Veneris decerpere in hortis,
Ast me dumetis perdidit illa suis.
His ergo plantis, velut è cælestibus hortis,
Aggrediar flores carpere, Christe, tuos.
Quòque magis mihi progenerent, reddantq; benignè,
Has mea perpetuò lumina fonte rigent.

Cur incompta iacens comas te das spargere ventis?
Non solet impexam Magdala ferre comam.
Anne hæc vt quondam implicuit tibi vincula mille,
Sic te his exutam, nunc resoluta notet?

Il-

Illa ego, quę insanis pelagi iactata procellis,
Totque agitata modis mille pericla tuli;
Occupo nunc tandem portum, benè fidæ receptæ
Sint statio plantæ, queis coma me religet.

Absalo vesanus fugiens hostilia tela
Cæsarie implicitam perdidit ecce fugam.
Ac miserum summa pendens ex arbore corpus,
Quod fugit, inuisum repperit exitium.
Tu quoque tartareos fugiens, ò Magdalis, vngues,
Ad Christi plantas es religata coma.
Crinis at iste tuus contraria prestat; & hostes
Dissipat, & vitam donat habere tibi.

Errantem captare feram dum nititur almus
Venator, crebrò spicula acuta iacit.
Vt penitus cor traiecit penetrabile ferrum!
Hanc ego celestem credo fuisse manum.
Non tamen, icta, manus atque ora inimica refugit
Præda sagittiferi, quin celer illa petit:
Illius ad plantas se crinibus alligat vltrò,
Sæpius hæc possit tela vt amica pati.

Quàm benè inornati fulgent sine lege capilli,
Magdala, dum Christi proteris hos pedibus!
Nulla hinc se iactet cælesti reddita cœtu
Cæsaries, isthæc gloria summa tuæ est.
Aereis quamuis micet inter sidera sphæris;
Non poterit cælo nobiliore frui.

Quid tibi cum tumulo, viuenti est Magdala? quidni
Cum socijs vnà pergis abire domum?
Funeris hic locus est, dulcis quod vita reliquit:
Atram nemo moras hic trahit ante diem.
Ignoscas: liquit nam me quoque vita; sepulcro
Dum mea vitalis condita vita iacet.

Crudeli quondam fixistis vulnere pectus
Lumina, & in cœno saucia mens iacuit;
Atque eadem fletu reparastis lumina vitam,
Fluxerat vnde salus, hac mihi vita redit:
Ergo odio pariter, pariter digna estis amore,
Quæ vitam eripitis lumina, quæque datis.

Quæ Veneri quondam fueram sacra hostia, ad aras
Nunc ego me Christi victima constituo.
Quid mystes nunc cessat Amor? quin sacra celebrat?
Aras hos Christi me iuuat esse pedes.
Illius hic succensa dabunt mihi pectora flammas;
Pro vitta crines colla superba ligent.
Anne deest lustralis aqua? hanc mea lumina fundunt:
Vrna etiam hæc spargit munera odora tibi.
Christe tuis oro consumer tota fauillis:
Sic perfecta tui victima amoris ero.

Magdala quid pedibus Christi reuoluta recumbis ?
Proijcis auratas quid gemebunda comas ?
Nonne hæc fila tibi fuerant acerrima tela ?
Hæccine nunc tandem præmia digna ferunt ?
Inclyta tam tristes reddit nunc palma triumphos ?
Ergo hæc ante pedes tela terenda iacis ?
Non aciem obtundit, meliores spicula ad vsus
Hæc acuit petræ vis magis, atque magis.
Hoc Christi ostendunt vno vel saucia crine
Pectora, & æternum vulnus amoris habent.

En fracta effundit redolentes vrna liquores,
Delinit & lassos dextra benigna pedes.
Vulnere, proh mirum! lethali mignata pectus
Fœdarant, queis os vnxerat ipsa suum.
Hinc fusa in medicum, fundentis vulnere curant:
Fit medicina illi, quod graue virus erat.
Omnia mutantur, manat de funere vita,
Vulnus & vnde venit, ducitur inde salus.

Ex oculis spumant præcordia turbida lymphas,
Inter & has vndas ignea corda calent.
Quænam coniungit latices concordia flammis ?
Quę vocat in fœdus mens elementa nouum ?
Sed geminam natura AEtnam miratur in orbe,
Altera quæ flammis, altera amore flagrat.

## Maria Magdalene, & altera Maria veniunt ad Monumentum, cum adhuc tenebræ essent, valdè manè, orto iam Sole.

VAldè manè oritur tibi sol? à sole rapinam
Horarum breuior nox tibi fortè doles?
Sol furti haud reus est, tua dum confinia lędit,
Occupat vmbrarum tempora iure dies.
Horas, quas moriente Deo, furata diei es
Nox, inuita licèt, sed rea restituis.
Auri damna sui sol vt compenset ab vmbris;
Hunc sine fraude potest anticipare diem.

## Maria Magdalene cupit dissolui, & esse cum Christo.

IGnis amor: dolor ignis; edit nam pectus vterque,
Nec mihi pectus adhuc soluitur in cineres?
Æquor Amor,dolor æquor:aquas nā lumina fundūt:
Nec Maria ipsa mei mergor in imbre maris?
Mors dolor est,mors est & amor:quid? amo,doleoq;
Nec morior? longum hoc viuere, sæpè mori est.

## D. Mariæ Magdalenæ pœnitentis statua marmorea.

MOEsta genas, doleo; sicco tamen ore: dolorem
Quòd non exonerem fletibus, id doleo.
Fletus, lenimen cùm sietam dulce doloris,
Cur riguere meæ mecum etiam lacrymæ?
Functa semel, vel debueram non viuere saxo,
Debuit aut gemino fonte dolere lapis.

## Cor ſuccinum, in quo Magdalenæ cineres.

QVod nitet electro, quod flauo purius auro
Cor micat, & nitido contegit oſſa ſinu;
Heliadū lacrymas ne credite:flebile cor eſt,
Eſt cor idem, eſt fletus, Magdala noſce, tuus.
Illa vbi, dum lacrymas fundit pertæſa Cytheren,
Triſtior in calidas corda reſoluit aquas.
Sed lacrymæ gelido riguerunt frigore vinctæ,
Et cordi ſpecies, quæ fuit antè, redit.
Nempe fugax oculis humentes fluxit in imbres,
Quod nequit arcanas ſuſtinuiſſe faces.
At nunc extinctas videat cùm funere flammas,
Sponte cupit cineri ſe ſociare ſuo.

## Idem Argumentum.

ILla, Palæſtinis quę viſa liqueſcere fletu
Terris, Heliadum conditur in lacrymis.
Ipſa ſuis tumulum ſi quęreret oſſibus, ipſa
Hoc vellet cineres contumulare ſuos.
Diceret, in lacrymis licuit cui ducere vitam,
Extinctam Heliadum quàm bene gutta tegit.



# Diuæ Christinæ in pauperes liberalitas.

RAra fides, fuluo pretiosa idola metallo,
Quæ pater indigna relligione colit;
Hæc in frusta terit Christinę mascula virtus:
His opibus ditat prodiga pauperiem.
Turba stupet, Martem, ac Venerem parere puellæ,
Numinaque victrices cuncta timere manus
Numina damnantem pœnis, hominesque iuuantem,
Te sibi crediderit turba fuisse Iouem.

## Diua Christina Mutilatos deos aureos dispersit, dedit pauperibus.

AVrea sunt Idola? forent si numine vili
Fictilia, his fierent aurea sub manibus.
Dextera auara Midę potuit? tua dextera, Virgo,
Veriùs id poterit prodiga prodigium.

## In Diuam Luciam V. M. Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Pet. 2. 1.

IN me cæcus amat radiantia lumina frontis,
Obscuras odit sed fidei tenebras.
O te crede meis acies malè sana tenebris
Tutiùs, infirmos lux oculos hebetat.
Ergo tibi extinguam mea lumina: sic eris ipse
Tutò oculatus Amor; cæca ego tuta fides.

## De Diua Lucia.
## Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur. Pſ. 111.

VIncta Syracuſis, non victa ab amantibus, ægrè
Ad Veneris trahitur Lucia proſtibulum.
Reſtitit hæc tamen, & fixos diuellere greſſus
Si voluere proci, non valuere boues.
Sunt iuga mille boum, labor irritus: ipſe Bootes,
Cæcus Amor, malè ſcit ſolicitare boues.
Europam Iouis ad thalamum bos vexerit vnus,
Vna omnes vincit caſta puella boues.

## De S. Catharina V. M.

BArbara iam diri teneris tormenta tyranni
Torpuerant membris, fractaque deciderant:
Nec tamen incoepto deſiſtit, quin ferus amens
Interitu pœnas ſumere poſſe putat;
Virginis & molli ferrum ſub pectore condit:
At mirum! niuei ſanguinis vnda fluit.
Quid celebrem iactas quid te duxiſſe triumphum?
Lac docet, an viuat, vel cadat exanimis.

## De Eadem.

REx vbi diſtricto tranſuerberat enſe puellam,
Et parat extremum ſumere ſupplicium;
Erumpit ſubitò de pectore lacteus humor,
Candentique ſimul terra cruore madet.
Quid ſibi nunc fluuius lactis quid poſtulat audax?
Cur triſtes ſedes, regnaque mortis habet?
Sanguinis extinctos flumen, non lac decet artus;
Et quæ mors habitat corpora, vita fugit.
Sed tamen hoc manet de vulnere lacteus imber:
Vita è virgineo pectore ſpirat adhuc.

## De Fuga Diuæ Barbaræ.

QVid fugis,& patrio te,Barbara, ſubtrahis ore?
An fugiſſe patrem ſit pietatis opus?
Enſem corripuit furijs agitatus, & ira,
Ocyor at ventis corripit illa fugam.
Non ſibi, ſed famæ patris accurata pepercit;
Cùmque magis properat, tum magis illa pia eſt.

## De Eadem.

DEſinat efferri Polycleti fama per orbem;
Nec fuerit deinceps inclytus arte Myron.
Laude nec immodica tollant ſuper aſtra Quirites
Praxitelem: cunctos deprime priſca fides.
Quod cæli varijs formabant ictibus, vna
Primis hoc digitis Virgo peregit opus.

## Diuæ Agnetis.

### Castitas tuta.

DVc ad ouile Agnam, quid cogis adire lupanar?
Tune gregis castidux malè cæcus Amor?
Agna Agnum, quocumque ierit, de more sequetur,
Nec sibi mille timet, sic sociata, lupos.

## De Sancta Agnete.

PRæses virgineos in flammas conijcit artus,
Sed viget in medijs integra Virgo rogis.
Illa quidem turpis flammam superarat amoris,
Quæ mortale genus vicerat, atque deos.
Quid mirum, rapidas si flammas Virgo subegit,
Quæ Veneris blandas vicerat antè faces?

## INSCRIPTIO.

*Quam argenteæ lipsanothecæ, in Hispaniam missæ incidi iussit Illustrissimus Dominus D. Iacobus de Palafox, Archiepiscopus Panormitanus. Nam Auctoris operâ iacebat serpens: Aquila verò superuolitans, rostro sertum, lilijs rosisque intextum, præferebat. è cuius centro Rosa emicabat, Diuæ Rosaliæ reliquias in sinu continens, cum hac epigraphe.*

**Vnâ in Virgine Rosalia**
**Eremi Rosam,**
**Lilio conuallium desponsatam damus:**
**Vtrumque coronatum florem,**
**Candidum, & Rubicundum.**
**Innocens veprium est.**
**Omnes in Dracone consumpsit.**
**Ad patriæ Aquilæ salubritatem**
**Oleum effudit è nomine:**
**Nonne currere in odorem iuuat?**

In

## In nuptijs Caroli Secundi, Hispaniarum Regis, sub auspicijs Diuæ Rosaliæ.

QVàm bene mixta simul Rosa-lilia nomine in vno!
Syllaba si desit li , Rosalia sonat.
Littera prima luem , premit altera Regibus iras:
Quod superest, florum fœdera nomen habet.
Cæsa lues, Aquila incolumis , pax nexa Hymenæis:
Regibus hæc geminis pronuba Virgo dedit.

## De Sancta Rosalia .

VT suprema dies teneram decerpsit acerba
Morte Rosam,& magnũ messuit vngue decus;
Hospitis indignam mortem miserata liquescit,
Ac pia profusis fletibus Ercta madet.
Rupis nimirum sensus, quæ nuda rigebat,
Iam morti speciem funeris exequitur :
Et cui dura parens animumque oculosque negarat,
Huic pietas tristes exprimit en lacrymas.

Obscurum Virgo quid te detrudis in antrum ?
Florentem carcer non decet iste Rosam.
Cultis hæc pratis , hæc hortis gaudet amœnis,
Et sublucano rore madere cupit.
Hęc lętis Phoebi lustrari obtutibus ambit ,
Et passim areolas spargere odore suas.
Sed Rosa-tu Cæli es ; nec deflorescis in antro :
Cui nitor his tenebris, carcere crescit odor.

Spinoſo Roſalia tegit ſibi tegmine corpus,
Seque audet forti dilacerare manu.
Tum verò natiuo artus de ſanguine tinctos
Aſpiceres: non ſic murice lana rubet.
Sic roſa purpureo nimirum offuſa colore eſt,
Horreſcunt ſpinis ſic pia membra ſuis.

Dum Roſalia patris tumida verſatur in aula,
Ceu flos, eſt rapidis imbribus oppoſita.
Sed ſator in ſeptum diuinus tranſtulit antrum,
Ne quandoque decus perderet egregium.
Traducta in montem, gelidis innoxia ventis,
Diuino vbertim rore rigata viret.
Quàm magno, credis, niteat roſa caſta decore,
Quam ſibi delicias excolit almus Amor?

Inſcribit nomenque ſuum, vitamque gerendam
Magnanima in ſaxo docta puella manu.
Anne timor potuit tenerę pepuliſſe puellæ
Pectus, vt hæc duro ſculperet in lapide?
Vt ſiquando animum caueæ percelleret horror,
Firmaret relegens chirographum ipſa ſuum.
Falleris: hæc primum ſub corde inſculpſerat alto,
Marmore quod ſolido eſt fortius, & ſilice.

Intres atra licet Roſalia foramina rupis,
Nec te tartarei terreat vmbra ſpecus.
Rumpe moras omnes, ductori cede vocanti;
Hic & opes omnes contege, ſpeſque tuas.
Abnuerat tetra viuam ſe penè cauerna
Condere, & optatę perdere lucis opes.
Vicit amor, ceditque timor: ſe immiſit in antrum:
O facinus dignum ſculpier in ſilice!

Quod

Quod Sinæ Aligeri Catharinæ funus in alto
Culmine deponant, gloria quanta manet!
Par decus Erćta tibi: Rosaliæ condita in antro.
Tu quoque Caelicolùm contegis ossa manu.
Amplius hoc etiam: defunctæ præbuit vrnam
Ille: at tu vitæ es, mortis & hospitium.

Nobilis Erctensi surgit quæ consita in horto,
Virgineo primùm candet honore Rosa.
Verùm eadem hirsutis incingitur vndique spinis,
Inficit & niueum læta cruore decus.
Mater Amoris abi: non est de vulnere aprino,
At de virgineo tincta cruore Rosa.

Chirographum tetro quid Virgo incidis in antro?
Et cui perpetuò tantus habetur honos?
An timor hic pallens feruenti prælia amori
Suscitat, atque adigit vertere terga fugæ?
Concurrunt, miscentque manus, vibrantque lacertis
Armata hic flammis spicula, & ille gelu.
Tandem vicit Amor, teque hic persistere suasit:
Sic victo, inscribis parta trophæa, metu.

Diuini decerpta manu Rosa languet Amoris:
Erćta sed in lacrymas saxa dolore liquat:
Assiduisque Rosæ lacrymis reuocare nitorem
Nititur: at contra spes reuoluta cadit.
Puluere concretæ lacrymæ imposuere sepulchrum:
Vnde aperire rata est, occulit inde Rosam.

Quid

Quid sibi vult vacui facies mentita sepulchri?
Et tantus tituli cui famulatur honos?
Arte hac rere mei laudem tibi ferre sepulchri,
Quodque dedit Virgo mortua, habere decus?
Falleris Ercta, tuam veneror non inuida tumbam;
Stat mihi nam titulus, stat sine fraude decus.
Hic Rosalia iacet viuens, hic vita sepulta est,
Hoc antro Virgo viuit, amans moritur.
Ergo mihi tecum est tumulus: faber haud tamẽ vnus;
Nam tibi mors finxit, sed mihi struxit Amor.

## In Diuæ Rosaliæ Lacrymas.
## Christi bonus odor sumus.

VT glacies, cùm Phœbeis est saucia telis,
Soluitur, & molles liquitur in lacrymas;
Vita pijs sic corda tibi Rosalia fauillis
E gemino frontis fonte liquata fluunt.
Hinc Christo bonus halat odor: de corde liquato
Stillicidij fornax promit aquam roseam.

## Erctæ Stillicidium
## Post D. Rosaliæ corpus inde translatum.

NE pelago credas, clauso vel ab aëre gigni,
Quæ cadit è viduo frigida gutta specu:
Frigida nunc, Rosaliæ olim calefacta fauillis,
E gemino cordis fonte liquata mihi est.
Prouida saxa tuos seruarunt Virgo liquores,
Si tua fortè mihi flenda rapina foret.
Sufficere ergo silex cùm non queat arida rores;
Credibile est fletu me lacrymare tuo.

## Religiosæ Nauis, In qua Diuæ Rosaliæ Imago festiuè per Vrbem vectabatur, amabile periculum.

PEr mediam occultis vectata ab Atlantibus Vrbē
Nauigat arentes quàm bene puppis aquas !
Merx Rosalia venit peregrinis ( nec procul ) oris :
Pro Zephyro est vulgi plausibus aura fauens.
Naufraga es in portu ; populi reflua vnda, & amorū
Tempestas auidè, quas vehis, ambit opes.
Hinc illisa resistis iter vis currere ? amatum
Huc mihi ( & euades ) proijce mercis onus.

## Solis arte facti In Coronam auream metamorphosis, Cùm Diuæ Rosaliæ reliquiæ apud Collegij Altare subsisterent.

PEndulus axe viæ iamdudum sol, vbi primùm
Stare videt sub se lipsana vecta Rosæ ;
Arrigit extemplò radios, & imagine versa
Qui modò sol fuerat, mox diadema fuit.
Soluitur argenti in tenues dein machina nimbos,
Irrorans pluuijs àera bracteolis.
Vro rosas alias sol ; huius at vror ab igne :
Quid si nostra illi sunt nocumenta decus ?



Ar-

## Arboris metamorphosis ex malo Medica In Diuæ Rosaliæ rosetum aureum.

NVper viua arbos æs trunco, fronde smaragdos,
Fructu aurum argentum floribus ediderat
Fossor vbi Calaber tellurem euiscerat imam,
Vt sedeat viuâ in rupe futura domus;
Cædor, at excidio pretiosior, omnis in aureas
Mutor, bracteola sic fruticante, rosas.
Stans Rosalia super, rosei quoque floris amictum
Cærulea mutat veste? beata rosa est.

## In idem Argumentum.

QVæ nunc bracteolis crepitat frōdentibus arbor,
Saucia nuper humi, sic modò conualuit:
Sic modò cōualuit propè mortua, sic satis aptè:
Non Medicus malus est, Medica malus erat.

## Felicis Vrbis Rosetum aureum in festo nupero Diuæ Rosaliæ. Arbor vitæ in medio Paradisi.

SIue Vrbs, siue Hortus mihi dicitur alma Panormus,
Æmula diuini ruris, & Vrbis erit.
Felix, & quatuor quadrata ex Vrbibus Vrbs est,
Mœnia sic Solymæ nempe beantis erant.
Elysius quatuor scatet amnibus Hortus vterque,
Pestiferam Colubri passus vterque luem.
Ille olim vitæ fructus amiserat Orbi,
Vrbi vitales inuenit iste Rosas.

## In trabem Panormitanæ Basilicæ, In qua D. Rosaliæ Imago vetustissima recèns reperta est.

TE quibus ò memorem, natam radicibus arbor,
Cui datur arenti è cortice ferre Rosas?
Virgo tua seu fortè olim requieuit in vmbra,
Oris & attritu forma relicta tibi est;
Seu potiùs roseum spiras trabs mortua vultum,
Artificis doctà viuere iussa manu:
Viue diu, nec te ignis edat, nec cossus, & in te
Tutum Aquilę nidum construat Vrbis amor.

## Diuæ Rosaliæ Elogium.

Etiam cùm Patriam deseris
Pulchri sunt gressus tui in calceamentis
Filia Principis.
Pulchriores tamen
Cùm nudo pede
Saliens in montibus, transiliens colles
calcatis vepribus sauciaberis.
Erubescite ad mendacium fabulæ:
Quid è cruore Veneris?
Puriùs suomet sanguine
Planta rubuit Rosæ.
Currite iam in odorem Ciues,
Hortus Conclusus soror nostra est:
Rosas, & Lilia
Non minùs nomine, quàm virtutibus inserit,
Di-

Dilecto nimirum similis;
Candida, & rubicunda:
Nostro scilicet in Paradiso voluptatis
Innocentem habemus,
Et sine spinis Rosas, & sine peste serpentem:
Cuius illa caput ne dignata quidem calcaneo,
Solùm nominis odore contriuit.
Quando demum post veris occasum
Iulio apertam mense
Inopinatam Rosam inuenimus.
Cælo primùm orta Septembri,
Ad patriæ salubritatem
Iterum æstate refloruit.
Plusquàm Pęstanam dixeris,
Quæ ne dum bis in anno, sed semper
Ad Pestis antidotum vernat.
Tandem igitur aliquando Salomonis vota quiescite;
In Peregrino, nec peregrè
Mulierem fortem inuenisse iam contigit;
Considerauit semitas domus suæ,
Quas vt Cælo inuias declinauit.
Manum suam misit ad fortia,
Quando Amoris ignem eliciens
Stylo ferreo sculpsit in silice.
Digiti eius apprehenderunt fusum,
Vt vitam ciuium melior Parca produceret;
Desine iam superbire Quisquina,
Rosaliæ nimis elata chirographo:
Suo illa in antro sat breuiter,
Nostris in cordibus diutiùs habitare decreuit.

## De Votorum instauratione.
## Votu mea Domino reddam.

SI mea sunt, dentur potiùs. redduntur? iniquum est,
Quòd mea sint. Rapui? sunt tua? restituo.

## In Instauratione Votorum.
## Funiculus triplex difficilè rumpitur.

CErberus interior multa ceruice rebellis.
Quid lacerat raucos gutture hiante sonos?
Si latrare potest, nequit hinc nisi fortè volentem
Mordere: haud metus est arma aperire famis.
Sunt tria colla Cani, totidem collaria nectam:
Funiculum triplicem rumpere difficile.

## Sub Reu. P. Io. Paulo Oliua
## S. Ignatij Societas tuta.

## Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem.

ARca vndis premitur: precibus Templa omnia dudum
Nostra sonant, Amor ò, sancte Creator ades.
Adfuit, ore ferens ramum felicis Oliuæ,
Accensura suas Dia Columba faces.
Ignati heredes nulla obruet vnda fauillas:
Nutrita est oleo fax? superabit aquas.

## Reu. P. Ioannis Pauli Oliuæ electio In Soc. Iesu Vicarium Generalem.

LVminis emeriti ad senium, pro sole diurnas
Primi hæres Ignis supplet Oliua vices.
Sole dies, nox nostra Oleo clarescit, Oliua
Diuisum Imperium cum face solis habet.

## Eidem honorem muneris recusanti.

EXere Oliua iubar, quid amas noctescere in vmbris?
Det tua consortem fax duplicare diem.
Non minus igne tuo, germano ac Sole calemus:
Non minor est tua fax sole, parelia erit.

## In Ioannem de Lugo Soc. Iesu, dum Romæ tractatum dictaret de Incarnatione.

ARcubus humanis compactum in Virgine Numē
Quàm puro ingenii lumine LVGE refers!
Difficiles nexus, hominemque Deumque trahentes,
Ad faciles captus claraque sensa trahis:
Nestorij vesana phalanx, & monstra Barathri
Nexibus infrendent illaqueata tuis.
Ergo catenatum, sed amoris compede mundum
Christus, monstra Erebi tu violenter agis.

 Ioan-

# Ioannis Cardinalis de Lugo
## Mors hilaris, ac pia.

LVge iam longùm viduata Hispania Lugo,
Longùm etiam luge Roma, diuque dole.
Tu quoque sic luge rapto sacra Pallas alumno,
Luget ad inferias nil tamen ipse suas.
Luge tibi est vni breuis vltima syllaba, longùm
Cùm tua mors cunctis, nil sibi, credo dolet.

## In illud: Qualis vita, finis ita.

MOrs Echo est vitę, quia finis missilis auræ est
Vtraque, vt ergo sonat vita, ita finis, ita.

## In effrenem oculorum licentiam.

NIsu Amor insolito vt iaculum vibraret ab arcu,
Vim stupæ ignitum flexit ad vsque sinum.
Hausit stupa faces, arcumque relaxat inermem,
Inque pigra eneruis torpet arundo manu.
Quid Puer? audet adhuc: oculis sua tegmina soluens,
Hanc iterum lentis cornibus aptat opem.
Si certos dum cecus Amor? quos diriget ictus
Dum videt, & regimen luminis arcus habet?

## Granadilla
## seu flos Indicus tormenta Christi insculpta gerens, vulgò flos passionis. **Bargiocchus**

VEris honos, terreque decus, flos gloria florum,
In quo mors floret non moritura Dei;
Quàm bene tam varios narras sine voce dolores!
Quàm bene tot pœnas florea tela refers!
Pagina odora nimis, qua me natura magistra
Sanguineum Domini funus amare docet.
Viue diu, nec te flammæ, nec frigora lædant;
Et tua factus apis mella recondat amor.

## Ad florem Granadillæ. Auctor

FLos ò, plebs florum renuit te dicere Regem,
Quòd tua non auro, vepre corona riget.
Sed tibi maiores statuit, quàm Regis honores
Rex florum, ipse tuis cedat vt obsequijs.
Sint redimiti auro, florum sint lilia Reges,
Reginasque notet purpura auita rosas;
Certè idololatris liceat si floribus esse,
Te dat adorandum floribus esse Deum.

## In Eumdem.
## Amoris de morte trophæum!
## O mors ero mors tua. Cant.

MOrs, & Amor certant; nū mors occidit Amorē?
Hoc cupiente mori, nexuit illa moras.
Quid cōtra vltor Amor? (nā sunt quibus vtitur arma
Irrita, cùm nequeat mors inimica mori.)
Callidus arma iacit, peperere ea semina florem;
In quo deuictę mortis imago viret.
Sic mors cæsa cadit, dum vita in flore resurgit:
Illi haud posse mori, huic viuere posse, mori est.

De

# De Felis aucupio.

DVm volucrem tacita felis circumuenit arte,
Implicitam insidijs perdidit illa fugam.
Ergo quid alarum vobis est tanta cupido
Mures, cum mortis sæua pericla tenent?
En potis est felis venantum indagine prædas;
En potis est volucres aucupis arte sequi.

## Descrittione Encomiastica della Città di Messina di Monsig. Rao.

SOrge in teatro, e l'è corona vn Monte,
Cui l'alba imperla, e'l primo Sole indora;
Città che'l mare, e'l Ciel mentre innamora;
Il piè le bacia il mare, il Ciel la fronte.
Quinci rompe il Tirren, l'Ionio a fronte,
Sol per lei vagheggiar, l'onda sonora:
Quindi par ch'a vederla, Italia ancora
Affretti i colli, e soura il mar sormonte.
Per lei s'arma Orion di stelle d'oro;
E a custodirla entro sassoso laccio
Cariddi, e Scilla incatenò Peloro.
Perche in trofeo del cor più alto impaccio,
Qui s'auuider che stanche al gran lauoro,
Posò l'Arte la man, Natura il braccio.

# Messanæ Vrbis laus, ex Italico Illust. Poëtæ carmine fideliter translata.

MOle theatrali surgit, redimitaque monte est,
Quam solis prima lampade inaurat Eos;
Vrbs, quæ dum Cæli, pelagique lacessit amores,
Oscula habet Cæli frons, pelagique pedes.
Tyrrhenum, Ioniumque pari rapit ambitus æstu,
Certantque alternis fluctibus Vrbe frui.
Ipsa etiam citat huc gressus, studioque videndi,
Arrectis inhiat collibus Italia.
Huic Eques auratis Orion militat astris,
Huic Scylla excubias, atque Charybdis agunt.
Hic tandem exhaustis Ars, & Natura quiescens
Viribus, hæc posuit brachium, & illa manum.

# De Fonte in suburbana Collegij Panormitani villa excitato, & Statua Raphaelis, ac Tobiæ apposita.

PAstor erat pecudum, nostræ qui præsidet vndæ,
Et Nympham molli fouerat ante genu.
Nunc idem estque viæ ductor pennatus, alumnum
: Et fulcit caris Tobiolum genibus.
Quis tantum mutare potest? quis obire vicissim
Marmoris ora eadem munus vtrumque iubet?
Ni qui artem callet, iamdudum expertus vtramque,
Qui gregis est Pastor, Ductor & est iuuenum?

Quæ pueri fido custodi incumbit imago,
Indidit huic sculptor nobilis ecce animam,
Non credis? spectes vultum, frontisque vigorem:
Si tacet, haud mirum; pressa sopore iacet.

Vatum opus antiquum fuerat noua condere versu
Corpora, & humanum voluere adima genus.
At tunc exorta ex pueris cognomina florum,
Et Terei, & Prognes iam taceantur aues.
Et Phaëthontiades alnorum cortice tectæ,
Et Niobe læso Numine facta silex.
Illi hominum vultus finxere in monstra ferarum;
Plus est agricolam vertere in Aligerum.
Et Naso nobis, & Gręcia cedat, & vnam
Hanc metamorphosim carmina concelebrent.

Fontibus in gelidis quondam est venerata Napæas
Dedita fabellis prisca superstitio;
Hoc manus artificis deducta errore, magistrum
Marmore in hoc pecoris sculpserat, atque deam;
Relligio sed vera pium hæc emendat in vsum,
Ingenijque acie docta refingit opus.
Qui Pastor Raphaël; Nympha olim languida amore
Tobiaden cursu languidulum ore refert.
Quàm benè conueniūt nunc omnia marmore eodē!
Vix mutata perit forma, manetque vetus.
Est ars nobilior, veterem quæ corrigit artem:
Illa nisi errasset, fecerat ista minus.

Vil-

Villam, Academiæ celebrem cognomine quondam,
Inclyta quæ domino tum Cicerone fuit;
Fama tenet, lympham misisse è fonte salubrem,
Quæ affectis oculis mite leuamen erat:
Et benè: cùm semper Tulli monumenta legantur;
Sunt plures, oculis quæ medeantur, aquæ.
His tamé hoc nostrum Musæum haud inuidet vndis;
Fons vbi surrexit iam nouus vtilior.
Pone metum pubes, teneant nec damna salutis;
Quin studium Musis protinus omne feras:
En Academiam nostram tutatur, & ornat,
Et præsens ægris est Medicina Dei.

Hic qui tutelam fontis nouus obtinet Ales,
Excipit & pueri languida membra genu;
Pastor erat, dulci Nymphæ qui captus amore,
Postquàm sol medio flexerat axe rotas;
Hospitium caris illi præbebat in vlnis,
Mulcebatque sua blandulus ora manu.
Ast in cœlestem species reuoluta figuram,
Nobile penningeri iam ducis explet onus:
Qui senis impulsus lacrymis, sibi sumpsit ephebi
Formam, & custodis præstitit officium.
Proh quantum mutare valet rerum inclyta virtus!
Flectere saxa potest, flectere & os superum.
Cælicolæ, vultus hominis miseratio finxit;
Et pudor en hominem vertit in Aligerum.

Quem

Quem signat statua hæc, nitidis quæ præsidet vndis?
Cælicolam alatum, qui modò pastor erat.
Quis puer hic, somnus cui membra quiete resoluit?
Tobiades, siluis qui fuit ante Dryas.
Vnde ergo vobis antiqua effugit imago?
De vestra tantum cui licuit facie?
Fessus vix fonti assideo, vix Nympha sopore
Carpitur, & mulcet languida membra quies:
Ecce mihi prodire alæ, mutataque forma est,
Nympha simul castum vertitur in iuuenem;
Obstupui, & Circes me in fontibus esse putabam,
Ast hæc non vertunt corpora præstigiæ.
Dicitur at Pallas nobis mutasse figuram,
Corpora quæ in melius vertere sola potest.

Nympham, cui calamo suadebat dextera somnum
Mulcebam læua pastor ego antè manu.
Cum domino atque domo pariter permuto figuram,
Et rego Tobioli redditus ales iter.
Nempe loci hic genius, veteres mutare figuras,
Atque homini mores indere Cælicolum.

Fons meritò erumpit nostris in sedibus hospes,
Musarum haud decuit fonte vacare domum.
Prisca hinc Castalij sileant miracula montis:
Maiora his nobis fons nouus exhibuit.
Illinc ales equus fugiens conscendit Olympum,
Aliger huic cæli missus ab axe præest.
Sessorem ille suum terras deiecit ad imas:
Hic custos iuuenes tollit ad astra pios.

Quisquis es, accede has nostras securus ad vndas,
Nec te forma vetus terreat illa deæ.
Hic quę Nympha stetit quondam, fit castus Ephebus,
Pastor & in fidum vertitur Aligerum.
Non rapiunt Nymphæ hic pueros ad fluminis imum,
AEtheris ast illos Ales ad alta rapit.

Hic qui penniger*i* formam simulatus ephebi
Tobiadæ custos additus est puero;
Pastor erat, Nymphamque manu mulcente fouebat,
Et calamo ad blandas sæpè strepebat aquas.
Esse iubet quales iuuenum sub pectore Princeps,
Qui mores Superum marmora habere iubet?

Quæ species mihi sese offert? quid lumina cernunt?
Tu mihi, ni fallor, Nympha videre nitens:
Quæ dulcem carpis Pastore innixa soporem:
At molles Nymphas hec domus alma fugat.
Tobioli iuuenis si verò induta figuram
Diceris, & munus deposuisse vetus;
Ille viator erat, tu contra membra sopori
Soluis, & ad dulces pigra quiescis aquas.
At scio: veloces humeris dux indidit alas,
Et dux ille ouium versus in Aligerum.
Hoc comite & terræ, & tractus peregrare profundi,
Aeraque in somno peruolitare pote est.

Can-

## Canzone sopra l'istessa fonte.

*SEmbrai rozo Pastor, che dolce auena*
*Temprando al roco marmorar dell'acque,*
*Echo trassi da gli antri, e la Sirena*
*Da l'onde sì, che addormentata giacque:*
*Ed hor d'ale vestito in altra scena*
*Rassembro Angel di Dio, come a lui piacque,*
*E fiedo in guardia qui del sacro chiostro,*
*Date fiori, e corone al Genio vostro.*

## Idem carmen latinè redditum.

FIstulam Pastor modulatus olim
Murmur ad raucum fugientis amnis
E cauis traxi specubus iocantem
AEmulus Echo.

Quin & accurrit stupefacta Siren,
Cęrulum linquens Thetidos cubile,
Et genu fulsit caput à sopore
Victa caducum.

Nunc leues pennis humeros amictus
Numinis, cui sic placitum, minister
Ales in scena hac simulor vaganti
Missus Ephebo.

Et sacros cælo tueor Penates,
Assidens custos: pia ferte pubes
Munera, & vestro Genio corollas
Spargite florum.

*Al musico Pastor le mute belue,*
*E i sordi pesci dier gli orecchi pronti.*
*Non sol canori augei, nè verdi selue*
*Sol le cime piegar, ma alpestri monti;*
*Hora conuien ch'ei taccia, e si rinselue,*
*Poiche a lui dan le spalle, e a noi le fronti;*
*Tratti non sol da Angelica armonia,*
*Ma dal celeste odor di ROSALIA.*

## Idem latinè redditum.

Pastoris calamis flantibus in modum,
Et vulgus pecudum voce carentium,
Et per cærula nantum
Surdas applicuit genus
Aures, non volucrum turba loquax modò:
Nec solùm viridis silua leues comas;
Sed montes quoque dura
Demisere cacumina.
Fas compescere nunc ora silentio;
Et sese in latebras abdere frondeas;
Illi terga relicto,
Nobis ora fauentia
Confertis populus porrigit auribus;
Non solùm ætherei blanditijs chori;
Sed celestis odore
Allectus pariter ROSAE.

*Onde salubri, il cui moderno grido*
*Sprezza l'onde di Lethe,*
*Che dal pesce scorrete,*
*Qual nel rapido Tigre ha seggio, e lido:*
*Vena miglior che d'oro,*
*Dell'angiolo di Dio almo tesoro.*

*Erra chi Rè dell'acque il mar fallace*
*Appella, stima, ò scriue:*
*Egli all'huom mentre viue,*
*Dà nel'auido sen tomba vorace:*
*Ma tu l'egro mortale*
*Chiami fin dal sepolcro al suo Natale.*

*Non vanti il Gange di sue ricche sponde*
*Stellata d'or l'arena:*
*Tu sì che per la vena*
*Di più ch'aurato pesce aggiri l'onde,*
*E nella tua virtute*
*Viè più cara dell'or porti salute.*

*O fontana vital, limpido rio,*
*Ristoro de' viuenti,*
*Onor de gli Elementi,*
*Di Raffael miracolo, e di Dio;*
*Celeste medicina;*
*Di liquidi cristalli alta reina.*

*Reina sì, ma serua al dolce impero*
*Del gran Padre Giordano,*
*Onde inuidiar in vano*
*Potresti i Sacri Regi al Nilo altero,*
*La fama al Xanto, all'Ebro,*
*Il dominio all'Eufrate, i lauri al Tebro.*

*Già da l'alma di lui pietosa, e grande*
*Versar tuo pesce impara*
*Onda limpida, e chiara:*

*E apprendon l'acque, che sua bocca spande*
*Contro i morbi lugubri,*
*Da l'Angelico piè d'esser salubri.*
*Desta spirto Febeo ne' petti nostri*
*L'humor, che tu ne dai:*
*Nel tuo fonte temprai*
*Questi armonici miei canori inchiostri:*
*E quanto hor detto, e scriuo,*
*Bebbi nel tuo, non nel Castalio riuo.*

## Augustissimo Regi Carolo II. Pro pacis eiusque nuptiarum celebritate, hastiludium.

### Epigramma.

PRonuba Pax fausto pretendit lumine tedas,
Dum sociat thalamos Regia sponsa tuos.
Ludimus Vrbe tamen belli simulacra sub armis;
Et licèt innocuis ictibus hasta ferit.
Fida nequit vinci bello, seu pace, Panormus:
Si desint odijs prælia, certat Amor.

## In Panormitanæ Fidelitatis Constantiam.

REgis in obsequium, vero seu Marte laboras,
Seu simulas festis ludicra bella iocis;
Semper fida tuo confesas immota Tonanti,
Aut pugnet, ducta aut Coniuge fœdus amet:
Scilicet Vrbs felix, stabili quadrata figura
Nunquam Fortunę flecteris orbe, leuis:
Carolus vt Reges inter, ditione Secundus,
Sic Vrbes inter prima, Panorme, Fide es.

F 2 Nel-

# Nelle guerre festiue celebrate in Palermo Per l' augustissime Nozze della Maestà di Carlo I I. N. S. stabilite con la Pace d' Europa.

## SONETTO.

HOr che spente son l'ire, e de' seueri
Bronti riposan l'otiose incudi;
Ne l'Aquila felice auuien, che sudi
A trarre al Gioue Ispan strali guerrieri;

Pure in ossequio de' gran Sposi Iberi
Veggonsi balenare vsberghi, e scudi,
E sonar trombe, ed in arringhi crudi
Arrestan lance, e fueniolar cimieri:

Grato fu nelle stragi anco l'horrore;
Hor in gare festose, e'n suon giocondo
Vien dal finto pugnar vero il timore.

Così tempra le cose a prò del Mondo
Carlo, Marte in battaglia, in pace Amore,
Primo tra Regi, ed a niun Secondo.

## Inscriptio in Theatro Philippi IV. Siciliæ Regis, eiusque statua in area Regij Palatij Panormitani, Anno 1661.

Vni Regi
Philippo IV.
Non diuiditur Mundus,
Quatuor sibi diuisus in partes.
Nusquam Sol euigilat,
Quin Hispanias videat regnatrices.
Sed ne cum fascino vnquam inuideat,
Sui felicitatem nominis
Ominatur Panormus:
Hinc Orbem cæteroqui rotundum,
Quadrata perennius in basi
Sub pedibus mancipat triumphantis.

### *Breuis admonitio ad Lectorem.*

*Legitur hæc inscriptio in opere illius Theatri, descripto ab V. I. D. Don Francisco Strada, Senatus Panormitani à secretis, impresso anno 1683. fol. 60. Reliqua verò inscriptiones ad statuas ibi insculptæ, ac etiam in eodem libro editæ, à dignissimo calamo Adm. R. P. Ioannis Baptistæ Bysi Panormitani è Societ. Iesu, scriptæ sunt.*

## Epigramma in nouo propugnaculo ad Molem Panormi, Pharlæ Turri, vulgò la Lanterna, incisum. Anno 1676.

Montibus aggestis, patrio de more Gigantum,
Edomui, obiecta mole, Panormus aquas
Nunc domitura hostes, structo super equore vallo,
AEnea deuibro fulmina, more Iouis.
Ne desint ad bella faces, auis ipsa Tonantis
Est quoque fulminibus prompta ministra meis.

# INSCRIPTIO
## In Odèo, nuper Panormi, erecto, ad oram maritimam: vbi è Leonum rictu prosilientes aquæ ad Amphionem circumfunduntur.

Felix vsque ad delicias Panormus est:
Ad æstiui lenimentum caloris
Nocturnas auras hic iubet
In melos musicum demulceri
Adeò concors est ciuium harmonia,
Vt exteriùs resultet ad mœnia.
Veriori quàm Thebis prodigio,
Quòd Vrbs illa
Melodiæ semel filia;
Hæc semper parens.
Sonum ipsum Amphionis
Diutiùs audiendum obtutu,
Fontano mancipauit in lapide.
Feruidos sole æstiuo Leones,
Sub Aquilę tegumento ne time,
Vndas ore, non ignes non effundunt.
Nostri nempe sub cæli temperie,
Plusquàm Orphei ad lyram
Didicere in siluis feræ,
In astris etiam, & fontibus mansuescere.

Epi

## Epigramma ibidem incisum.

TVrritum Babylonis opus, suspectaque cælo
Cede Panormeis machina prodigijs:
Quas malè confudit discordia dissona voces,
Porticus hæc resonis miscet in ore modis.
Scilicet opposita felix Babylone Panormus:
Vrbs ea dissidij, hæc hospita Pacis erat.

## Inscriptio in nouo Panormitano Regiarum monetarum ædificio.

## Carolo II. Hispaniarum, ac Siciliæ Rege.

MOnetariam cudendæ pecuniæ officinam, Messanæ penitùs interdictam, pristino iure in posterum Panormo concessam, sub auspicijs D. Francisci Benauides, Comitis Sancti Stephani, Proregis benemerentissimi; Senatores Illustrissimi meritò restituendam curarunt. Nusquam rectiùs formari potuit Regis Caput, quàm Regni Capite: nec signari metallo eius imago fideliùs, quàm vbi impressa cordibus est. Arcanam loci Maiestatem Viator, & Vrbis magnificentiam venerare. Anno salutis 1681.



In

# Inſcriptio in Aere Campano ad Turrim Campanariam Maioris Panormitanæ Eccleſiæ.

ANno ſalutis 1487. primam vocem emiſi ſonans: à Ferdinando tamen Catholico ad Carolum vſque Secundum, Hiſpaniarum, ac Siciliæ Regem, confracta ſæpius, totieſque refecta, anno præſertim 1664. à D. Petro Martinez Rubeo Præſule, & D. Stephano Regio, Principe Campi Franci, Prætore, purgata flammis oris raucitate, conualui. nunc demum ſciſſis dudum faucibus muta, ne deinceps æruginis vitio pluſque nimio recocto ære, iterum fatiſcerem, renouata metalli temperie, publico ære conflari, & à D. Iacobo Palafox, & Cardona Archiepiſcopo, ſub B. Mariæ, ac S. Mamiliani nomine Chriſmavngi curarunt Senatores Illuſtriſſimi. Anno ſalutis M DC LXXXI.

## Diſtichon.

Publica vox, procul hinc Cælo, procul audior Orco
Sola eſt ſurda ſonis terra propinqua meis.

## In Idem.

Meſſanenſe æs campanum,
Conuocandis ibi tumultibus reum,
Damnatum igni,
Nec tamen purgata ignominia,
indignum habitum eſt
Quod in Caroli II. ſtatuam Meſſanæ erigendam
Ore contaminato ſuccederet:

Cu-

Cuius Simulacro conflando
Commutatis inuicem metallis,
Panormitana Ecclesia gestijt
In Regiæ Maiestatis obsequium
Et sacra sua æra liquescere,
Et aliena profana
Fideliorem in sonum refecta sacris ictibus emendari.
Abbate D. Thoma Barone Achidiacono
Regni Deputato,
Et D. Balthassare Galifi de Vigintimillijs
Ecclesie restaurandæ Prefectis.
Anno salutis M DC LXXXI.

## Benemerentissimo Academiæ Panormitanæ Principi, D. Ignatio Galletti, Marchioni Sancti Cataldi, suscepti Principatus inauguratio.

### E P I G R A M M A.


SVme Panormeę Princeps noua iura Palestræ,
Doctius auspicijs amplificanda tuis.
Non te splendor Auum, generosaque stirpis origo
Nec digna Imperio forma, leuisque fauor,
Ad solij culmen, meritosque euexit honores,
Castalijsque dedit iure præesse choris:
Sed iubar ingenij, & dulcis facundia linguæ,
Doctaque Apollineæ vena canora lyræ:
Si fortè his olim Phœbus procul absit ab oris,
Phœbeas poteris sustinuisse vices.
Neue reactensis desit sua flamma Camœnis,
Ipse tuo præbes Nominis Igne faces.

## Canzone di Monsignor Rao.

*Tu voi, ch'iu parli: e cui pò diri tantu,*
*Chi pozza dirni en parti li mei guai?*
*E si parlandu crisci n'autru tantu*
*La chiaga, comu voi ch'iu parla mai?*
*Parlanu l'occhi mei, chini di chiantu,*
*E la muta pietà t'hà dittu assai.*
*Oh! si sapissi, e si sintissi quantu*
*Parla un suspiru, e quantu dici un ahi!*

## Paraphrasis.

QVid cogis fari? valeas quis dicere tantum,
Vt partim ærumnas exprimat ore meas?
Nutritur si sæpe dolor, crescitque loquēdo;
Quid me plus vnquam promere verba iubes?
Lumina nostra satis lacrymis facunda loquuntur,
Estque tibi pietas muta locuta satis.
O scires ipsa, ò nosses suspiria quantum,
Quidue vnum ah! valeat, vel sine voce, loqui!



## *Canzone del Dottor D. Alessandro Rizzari.*

*DI mia misera vita l'ultim'hura*
*M'addita in mesti accenti un brunzu armatu;*
*Chianci vulandu l'aura, e mi figura,*
*Chi presti in chiantu lu spassu è mutatu.*
*Anzi m'auuisa chi la sorti dura*
*Hà l'auti imperij in cipressi cangiatu;*
*Chi tantu spissu chianci la Natura,*
*Quantu a li tocchi soi ridi lu Fatu.*

## Paraphrasis.

INdicat extremam vitæ miserabilis horam
Æs mihi præfixo cuspidis ense rigens;
Aura volans fugitiua gemit, monstratque vicissim
Conuersa in subitam gaudia tristitiam.
Quin in funereas dolet, vt sors dura cupressus
Mutarit lauros sæpius imperij.
Nempe dolens tam sepè gemit Natura per horas,
Quàm crebris fatum ridet in orbe iocis.



Can-

## *Canzone Siciliana.*

*Passannu Clori Nisu in chisti amari*
*Accenti ruppi: Impia undi vai, ubi fai?*
*Hai, 'ntunau l'ermia ripa, e pri l'affari*
*Lu to fidili amanti in tanti guai?*
*Hai, murmurandu ripigghiau lu mari:*
*Ma di lu mari chiù spietata assai*
*Partiu l'infida, e i mei gridari*
*Ecu poi di luntanu: Impia undi vai?*

## Paraphrasis.

DVm procul it Chloris, singultibus æger amaris
Quò properas, quid agis perfida? Nisus ait.
Ah it, ripa loquax repetit, sic linquere amantem
Chlori potes, mea lux, dimidiumque mei?
Hei citò per maria alta reciproca personat Echo:
At fugit irato surdior illa mari.
Tunc querula auditus longè est, vlulantibus auris,
Voce fragor: quid agis perfida, quò properas?

## Quomodo sedet. *Ierem. Cap. I.*

Hei mihi! quæ facies vrbis deserta, frequenti
Plena olim populo, quàm modò sola sedet!
Ceu vidua vrbs princeps famulas dominata per vr-
Subijcit indigne colla superba iugo. (bes
Plorans plorauit tacitis nocturna sub vmbris,
Et lacrymæ teneris incaluere genis. &c.

In

## Inſcriptio Sepulchralis.

Virginibus prudentibus ſororibus ſuis,
In Domino dormientibus,
Venturo Sponſo obuiam exituris
Hanc interim requiem,
ſub templi viſceribus
Sumptuoſiſſimè exornatam,
Reuerenda Mater
Soror Hieronyma Felix Cottone, & Aragona,
Priorīſſa,
Peculiari ære, proprio concamerauit ingenio,
Anno ſalutis M DC LXX.

### *Sopra il Fiore della Paſſione.*

*DIſſe alcun, che à narrar le glorie, e l'opre*
*Del ſempiterno lor ſommo Fattore,*
*Le ſtelle, onde la notte il manto copre,*
*Son caratteri d'oro, e di ſplendore.*
*Hor miracol maggior la terra ſcopre,*
*Quaſi bei fogli, apre le foglie vn fiore,*
*Fiore, anzi libro, oue Giesù trafitto*
*Con ſtrane note il ſuo martirio ha ſcritto.*
*Benedicati il Cielo, e chi lo ſcriſſe,*
*O ſacro fior, che tanta gloria godi,*
*E i fiori, in cui de' Regi i nomi diſſe*
*Leggerſi antica Muſa, hor più non lodi.*
*Chi vide mai, che in prato alcun fioriſſe*
*Primauera di ſpine, e lancie, e chiodi?*
*E che tra moſtri, al Redentor rubelli,*
*Pullulaſſer co' fiori i ſuoi flagelli?*

*In*

*In India nò, ma ne i giardin celesti*
*Portasti i primi semi a i tuoi natali,*
*Tu, che del tuo gran Rè tragici, e mesti*
*Spieghi in picciol teatro i funerali,*
*Nell'horto di Giudea credo nascesti*
*Da quei vermigli, e tiepidi canali,*
*Che gli vliui irrigaro, ou'egli esangue*
*Angoscioso sudò stille di sangue,*

*Ahi qual pennello in te dolce, e pietoso*
*Trattò la man del gran Pittore eterno?*
*E con qual minio viuo, e sanguinoso*
*Ogni suo stratio espresse, ed ogni scherno?*
*Di quai fregi mirabili pomposo*
*Al sol più caldo; al più gelato verno,*
*Dentro le tue misteriose foglie*
*Spieghi l'altrui salute, e le tue doglie?*

*Qualor bagnato da' notturni geli*
*Con muta lingua, e taciturna voce,*
*Anzi con liete lagrime riueli*
*De' tuoi fieri trofei l'historia atroce:*
*E rappresenti ambitioso a' cieli*
*L'aspra memoria de la sagra Croce*
*Per gran pietate il tuo funesto viso*
*Dà materia di pianto al Paradiso.*

*Viui e cresci felice: oue tu stai*
*Sirio non latri, ed Aquilon non strida:*
*Nè di profano agricoltor giamai*
*Vil piè ti calchi, ò falc'empia t'incida:*
*Ma con chiar'onde, e con sereni rai*
*Ti Nutrisca la terra, il ciel t'arrida:*
*Fauonio ogn'hor, con la compagna Clori*
*De la bell'ombra tua gli odori adori.*

*Te sol l'aurora in Oriente ammiri,*
*Tue pompe inuidij, e tua beltà vagheggi:*
*In te si specchi, e a te s'inchini, e giri*
*Stupido il Sol da' suoi brillanti seggi.*
*Ma nè quello, nè quella al vanto aspiri,*
*Che di luce, ò color teco gareggi;*
*Che sol la vista tua può donar loro*
*Qual non hebber giamai porpora, ed oro.*
*Lagrimette, e sospir caldi, e viuaci,*
*D'aure in vece vi sieno, e di rugiade;*
*Angeli sien del ciel l'api predaci,*
*Che rapiscon l'humor, che da te cade:*
*E mille in te stampando ardenti baci*
*Di deuota dolcezza, e di pietade,*
*Dal fiel, che ti dipinge amaro, e graue,*
*Traggano a' nostri affanni il mel soaue.*
*Così il Marino.*

Metaphrasis.

1 Sidera, queis auratum sibi nox depingit amictum,
Aurea, crediderat quidam, elementa fore;
Alta quibus decora, atque ingentia facta paterent,
Quæ tulit æterni prouida dextra Fabri.
Nunc maiora oculis reserat miracula tellus,
Perpete, ceu chartis, flos vbi fronde viret:
Flos inquam, imò liber, tenero cui margine miris
Inscripsit Iesus fata suprema notis.
2 Ipse tui Scriptor, facilis quoque sospitet æther,
O, quem tam grandis, flos, sacer, ornat honos!
Et quos inscriptos tellus fert nomina regum,
Flores, nec posthac prisca Thalia canat.
Quis memoret vidisse vllis florescere in hortis
Veris in effigiem tela, trabes, cruces?
Atque feras inter Fidei, deosque rebelles,
Nazarei in sertis flagra videre Ducis?

3 Non qui Gangetis passim ditantur arenis,
At credo è superis est tibi semen agris.
Numinis exiguo tradis qui mœsta theatro
Atque Sophocleis funera digna modis.
Gethsemani te prata soli fudisse, diemque
Purpureo, ac tepido fonte bibisse reor,
Diuite pallentes qui vena asperſit oliuas,
Cum desudantis fluxit ab ore cruor.
4 Ah! tibi quæ dulces induxit dextra colores
Quos simul æternus miscuit arte Faber?
Quoue cruentatos minio superante rubores
Cuncta sui potuit pingere probra manus?
Proh quàm sidereo simili fulgore decorum
Seu Titan radiis, seu fera bruma gelu
Te petat, ah! tristis folia inter sacra recludis
Ipse hominum vitam, vulnus & ipse tuum.
5 Siquando gelidis extrema nocte pruinis
Perfusus, verbis, quæ sine voce sonant,
Seu mauis hilari fletu, monumenta doloris
Pandis, quæ folijs lugubris vmbra gerit.
Et cupidus tacito tradis spectacula cælo,
Quæ tristidæ fuerint sacra trophæa crucis.
Ridenti mœstū (heu pietas!) quē stemate risum
Fundis, hic ad lacrymas astra, polosque ciet.
6 Viue diu felix, & quo tū gignêris agro
Eumenides, Aquilo, Sirius ora premat.
Immeritum te nulla terant vestigia vilis
Agricolæ, aut rabies falcis iniqua secet.
Sed vitreis tantùm lymphis, radijsque serenis
Te foueat tellus, te vigil axis amet.
Chloris amica tuas, sociusque Fauonius vmbras
Ambrosio æternùm captus odore colat.

7 Candida te solam stupeat Tithonia coniux,
Mireturque tuas insignia diuitias.
In te, ceu speculũ, inspiciat, supplexque recubat,
E superis Phoebi lucida rheda plagis.
Ne tamen aut illa, aut roseus concedere Titan
Posse tibi fulua luce, colore putet:
Te vidisse, potest, illis quod non fuit, ostrum
Tradere, & aurato spargere plaustra Tago.
8 Ex oculis lacrymas, & vino suspiria corde
Pro Zephyris reddũt, roscido & imbre vices.
Cecropias imitentur opes examina Diuum,
Queis à te stillans praeda sit ore liquor:
Et tibi (quia pietas, mollitiesque excitet ardor)
Feruida dum vigiles oscula mille ferunt;
Ex atro, vnde tuum ducis tibi, felle, colorem,
Exugant nostris dulcia mella malis.

Aliud eiusdem.

1 Astra quibus piceum sibi nox exornat amictum,
Esse characteres, nitida qui voce profundam
Auctoris caperent mente, dextramque potentem,
Sat scio docti loquũ calamos dictasse sophorum.
Nunc maiora tamen tellus miracla reuelat;
Quot foliis flos pulcher hians laxare videtur
Tot philyrae flos, imo liber, sua funera mittis
Quo lacerata notis soboles Iessea scripsit.
2 Aethra tibi faueat, te Scriptor & ipse recinget,
Flos sacer ô, tanto qui diues honore nitescis;
Neu curo iam Musa vetus dare laudibus vltra
Quos retulit Regum depingi nomine flores;
Vepribus in prato quisquam florentibus vnquam
Ver actum, & clausa videtque micantibus hastis?
Iessidae quo bine tibi seu monstra tabella eodem
Prodire in lucem flagra coniuga floribus ortu?

3 Se-

# Inscriptio in Aere Campano ad Turrim Campanariam Maioris Panormitanæ Ecclesiæ.

ANno salutis 1487. primam vocem emisi sonans: à Ferdinando tamen Catholico ad Carolum vsque Secundum, Hispaniarnm, ac Siciliæ Regem, confracta sæpius, totiesque refecta, anno præsertim 1664. à D. Petro Martinez Rubeo Præsule, & D. Stephano Regio, Principe Campi Franci, Prætore, purgata flammis oris raucitate, conualui. nunc demum scissis dudum faucibus muta, ne deinceps æruginis vitio plusque nimio recocto ære, iterum fatiscerem, renouata metalli temperie, publico ære conflari, & à D. Iacobo Palafox, & Cardona Archiepiscopo, sub B. Mariæ, ac S. Mamiliani nomine Chrismavngi curarunt Senatores Illustrissimi. Anno salutis M DC LXXXI.

## Distichon.

Publica vox, procul hinc Cælo, procul audior Orco
Sola est surda sonis terra propinqua meis.

## In Idem.

Messanense æs campanum,
Conuocandis ibi tumultibus reum,
Damnatum igni,
Nec tamen purgata ignominia,
indignum habitnm est
Qnod in Caroli II. statuam Messanæ erigendam
Ore contaminato succederet:

Cu-

Cuius Simulacro conflando
Commutatis inuicem metallis,
Panormitana Ecclesia gestijt
In Regiæ Maiestatis obsequium
Et sacra sua æra liquescere,
Et aliena profana
Fideliorem in sonum refecta sacris ictibus emendari.
Abbate D. Thoma Barone Achidiacono
Regni Deputato,
Et D. Balthassare Galisi de Vigintimillijs
Ecclesie restaurandæ Prefectis.
Anno salutis M DC LXXXI.

## Benemerentissimo Academiæ Panormitanæ Principi, D. Ignatio Galletti, Marchioni Sancti Cataldi, suscepti Principatus inauguratio.

E P I G R A M M A.

SVme Panormee Princeps noua iura Palestræ,
Doctius auspicijs amplificanda tuis.
Non te splendor Auum, generosaque stirpis origo
Nec digna Imperio forma, leuisque fauor,
Ad solij culmen, meritosque euexit honores,
Castalijsque dedit iure præesse choris:
Sed iubar ingenij, & dulcis facundia linguæ,
Doctaque Apollineæ vena canora lyræ:
Si fortè his olim Phœbus procul abstt ab oris,
Phœbeas poteris sustinuisse vices.
Neue reaetensis desit sua flamma Camœnis,
Ipse tuo præbes Nominis Igne faces.

Per la degna Elettione del Signor D. Ignatio Galletti, Marchese di S. Cataldo al Principato dell'Accademia de' Raccesi.

SONETTO.

*S'El Parnaso d'Oreco har chi degg'io*
*(Disse Apollo) nomar, che sembri degno*
*D'empier le veci mie, d'esser sostegno*
*Al soglio imperial del biondo Dio?*
*Canoro emulator del plettro mio*
*Scorgo in nobil Garzon feruido ingegno,*
*Cui da la Corte del Trinacrio Regno*
*D'applausi odo echeggiar bel mormorio.*
*Sia mio Fetonte Ignatio, ei con sue chiome*
*Indori al dì Sican le lucid'hore,*
*Ben fido Auriga; e scorgerassi, come*
*Senza temer d'incendioso errore,*
*Co' rai darà del suo focoso Nome*
*Luce a gl'inchiostri, ed à Raccesi ardore.*

Domino D. Eduardo Montacuto, Comiti Sandoich, Apud Hispaniarum Regem Legato Extraordinario Pacisque Lusitanæ sequestro.

PRodigium Regni Princeps Eduarde Britanni,
In te cuncta Deum Numina solus habes.
Si chelyn, aut citharam tangit, sic tangit Apollo:
Si manus effundit munera dextra Iouis.
Fulmina si vibras bello, Mars alter in armis:
Mitia si placas ora, gemellus Amor.
Si regis imperio populos, Saturnus haberis:
Si tractas Pacis nuncia, Mercurius,
Grande opus, in numerũ quemquam transire Deorũ:
Grandius in plures transilijsse Deos.

## *Canzone del Dottor Morrascbino*

*PIr motu d'acqua continuu, ed eternu*
*L'auta muntagna focu iecca forias,*
*Ed iu pir contra, c'baiu focu intern u*
*Mandu humuri pir l'occhi, e pir li pori.*
*Vnu murmura ortendu pir l'esternu,*
*L'autru in silentiu si consuma, e mori:*
*Vnu nun si sà zertu s'iddu è infernu,*
*Ma l'autru è zertu, e ci è dannatu un cori.*

## Paraphrasis.

PErpetuo vndarum motu, eternoque meatu
Vibrat inexhaustas foris Ætna faces.
Contra ego, qui tacitam sub pectore nutrio flammam,
E fronte, ex oculis fundo perennis aquas.
Ille sono horribili tonat exteriore boatu
Hic silet, & tacito pressus amore perit.
Ambigitur sitne illa Orci metuenda vorago,
Cor vbi torquetur, certibi Orcus erit.



Can-

## Canzone di Monsignor Rao.

*Tu voi, ch'iu parli: e cui pò diri tantu,*
*Chi pozza diri in parti li mei guai?*
*E si parlandu crisci n'autru tantu*
*La chiaga, comu voi ch'iu parla mai?*
*Parlanu l'occhi mei, chini di chiantu,*
*E la muta pietà t'hà dittu assai.*
*Oh! si sapissi, e si sintissi quantu*
*Parla un suspiru, e quantu dici un ahi!*

## Paraphrasis.

QVid cogis fari? valeat quis dicere tantum,
Vt partim ærumnas exprimat ore meas?
Nutritur si nępe dolor, crescitque loquẽdo;
Quid me plus vnquam promere verba iubes?
Lumina nostra satis lacrymis facunda loquuntur,
Estque tibi pietas muta locuta satis.
O scires ipsa, ò nosses suspiria quantum,
Quidue vnum ah! valeat, vel sine voce, loqui!




## Canzone del Dottor D. Alessandro Rizzari.

DI mia misera vita l'ultim'hura
M'addita in mesti accenti un brunzu armatu;
Chianci vulandu l'aura, e mi figura,
Chi presti in chiantu lu spassu è mutatu.
Anzi m'auuisa chi la sorti dura
Hà l'auti imperij in cipressi cangiatu:
Chi tantu spissu chianci la Natura,
Quantu a li tocchi sai ridi lu Fatu.

## Paraphrasis.

INdicat extremam vitæ miserabilis horam
Æs mihi præfixo cuspidis ense rigens:
Aura volans fugitiua gemit, monstratque vicissim
Conuersa in subitam gaudia tristitiam.
Quin in funereas dolet, vt sors dura cupressus
Mutarit lauros sæpius imperij.
Nempe dolens tam sepè gemit Natura per horas,
Quàm crebris fatum ridet in orbe iocis.



Can-

## *Canzone Siciliana.*

*Passandu Clori Nisu in chisti amari*
*Accenti ruppi: Impia undi vai, ubi fai?*
*Hai, ntunau l'eccu ripa, e poi lassari*
*Lu iò si lili amanti in tanti guai?*
*Hai, murmurandu ripigghiau lu mari:*
*Ma di lu mari chiù spietata assai*
*Partiu l'infida, e i mei gridari*
*Ecu poi di luntanu: Impia undi vai?*

## Paraphrasis.

DVm procul it Chloris, singultibus æger amaris
Quò properas, quid agis perfida? Nisus ait.
Ah it, ripa loquax repetit, sic linquere amantem
Chlori potes, mea lux, dimidiumque mei?
Hei citò per maria alta reciproca personat Echo:
At fugit irato surdior illa mari.
Tunc querula auditus longè est, vlulantibus auris,
Voce fragor: quid agis perfida, quò properas?

## Quomodo sedet. *Ierem. Cap. I.*

Hei mihi! quæ facies vrbis deserta, frequenti
Plena olim populo, quàm modò sola sedet!
Ceu vidua vrbs princeps famulas dominata per vr-
Subijcit indigne colla superba iugo. (bes
Plorans plorauit tacitis nocturna sub vmbris,
Et lacrymæ teneris incaluere genis. &c.

In

# Inscriptio Sepulchralis.

Virginibus prudentibus sororibus suis,
In Domino dormientibus,
Venturo Sponso obuiam exituris
Hanc interim requiem,
sub templi visceribus
Sumptuosissime exornatam,
Reuerenda Mater
Soror Hieronyma Felix Cottone, & Aragona,
Priorissa,
Peculiari ære, proprio concamerauit ingenio,
Anno salutis M DC LXX.

## *Sopra il Fiore della Passione.*

*Disse alcun, che à narrar le glorie, e l'opre*
*Del sempiterno lor sommo Fattore,*
*Le stelle, onde la notte il manto copre,*
*Son caratteri d'oro, e di splendore.*
*Hor miracol maggior la terra scopre,*
*Quasi bei fogli, apre le foglie vn fiore,*
*Fiore, anzi libro, oue Giesù trafitto*
*Con strane note il suo martirio hà scritto.*
*Benedicati il Cielo, e chi lo scrisse,*
*O sacro fior, che tanta gloria godi,*
*E i fiori, in cui de' Regi i nomi disse*
*Leggersi antica Musa, hor più non lodi.*
*Chi vide mai, che in prato alcun fiorisse*
*Primauera di spine, e lancie, e chiodi?*
*E che tra mostri, al Redentor rubelli,*
*Pullulasser co' fiori i suoi flagelli?*

In India nò, ma ne i giardin celesti
Portasti i primi semi a i tuoi natali,
Tu, che del tuo gran Rè tragici, e mesti
Spieghi in picciol teatro i funerali,
Nell'horto di Giudea credo nascesti
Da quei vermigli, e tiepidi canali,
Che gli vitui irrigaro, ou'egli esangue
Angoscioso sudò stille di sangue,

Ahi qual pennello in te dolce, e pietoso
Trattò la man del gran Pittore eterno?
E con qual minio viuo, e sanguinoso
Ogni suo stratio espresse, ed ogni scherno?
De quai fregi mirabili pomposo
Al sol più caldo; al più gelato verno;
Dentro le tue misteriose foglie
Spieghi l'altrui salute, e le tue doglie?

Qualor bagnato da' notturni geli
Con muta lingua, e taciturna voce,
Anzi con liete lagrime riueli
De' tuoi fieri trofei l'historia atroce:
E rappresenti ambitioso a' cieli
L'aspra memoria de la sagra Croce
Per gran pietate il tuo funesto riso
Dà materia di pianto al Paradiso.

Viui e cresci felice: oue tu stai
Sirio non latri, ed Aquilon non strida:
Nè di profano agricoltor giamai
Vil piè ti calchi, ò falc'empia t'incida:
Ma con chiar'onde, e con sereni rai
Ti Nutrisca la terra, il ciel t'arrida:
Fauonio ogn'hor, con la compagna Clori
De la bell'ombra tua gli odori adori.

Te

*Te sol l'aurora in Oriente ammiri,*
*Tue pompe inuidij, e tua beltà vagheggi;*
*In te si specchi, a te s'inchini, e giri*
*Stupido il Sol da' suoi stellanti seggi.*
*Ma nè quello, nè quella al vanto aspiri,*
*Che di luce, ò color teco gareggi;*
*Che sol la vista tua può donar loro*
*Qual non hebber giamai porpora, ed oro.*

*Lagrimette, e sospir, cruciati, e vlulati,*
*D'aure in vece vi stendi, e di rugiade;*
*Angeli sien del ciel l'api predaci,*
*Che rapiscon l'humor, che da te cade;*
*E mille in te stampando ardenti baci*
*Di deuota dolcezza, e di pietade,*
*Dal fiel, che ti dipinge amaro, e graue,*
*Traggano a nostri affanni il mel soaue.*

*Così tu t'adorna.*

Metaphrasis.

1 Sidera, queis auream sibi nox depingit amictum,
Aurea, crediderant quidam, elementa fore;
Alta quibus decora, atque ingentia facta paterent,
Quæ tulit æterni prouida dextra Fabri.
Nunc maiora oculis reserat miracula tellus
Perpetè, ceu chartis, flos vbi fronde viret:
Flos inquam, immo liber, tenero cui margine miris
Inscripsit Iesus fata suprema notis.

2 Ipse tui Scriptoris, facili quoque, suspicit æther,
O, quem tam grandis flos facit, ornat honos!
Et quos inscriptos tellus defert nomina regum,
Flores, nec posthac prisca Thalia canat.
Quis memoret vidisse vllis florescere in hortis
Veris in effigiem tela, rubentes cruces?
Atque feras inter Fidei, desumque rebelles,
Nazarei in sertis flagra videre Ducis?

3 Non qui Gangetis passim ditantur aredis,
At credo è superis est tibi semen agris.
Numinis exiguo tradis qui moesta theatro
Atque Sophocleis funera digna modis.
Gethsemani te prata soli fudisse, diemque
Purpureo, ac tepido fonte bibisse reor,
Diuite pallentes qui vena asperserit oliuas,
Cum desudantis fluxit ab ore cruor.
4 Ah! tibi quæ dulces induxit dextra colores
Quos simul æternus miscuit arte Faber?
Quoue cruentatos minio superante rubores
Cuncta sui potuit pingere probra manus?
Proh quàm sidereo simili fulgore decorum,
Seu Titan radiis, seu fera bruma gelu
Te petat, ah! tristis folia inter sacra recludis
Ipse hominum vitam, vulnus & ipse tuum.
5 Siquando gelidis extrema nocte pruinis
Perfusus, verbis, quæ sine voce sonant,
Seu mauis hilari fletu, monumenta doloris
Pandis, quæ folijs lugubris vmbra gerit.
Et cupidus tacito tradis spectacula cælo,
Quæ trifidæ fuerint sacra trophæa crucis.
Ridenti mœstũ (heu pietas!) quẽ stẽmate risum
Fundis, hic ad lacrymas astra, polosque ciet.
6 Viue diu felix, & quo tũ gigneris agro
Eumenides Aquilo, Sirius ora premat:
Immeritum te nulla terant vestigia vilis
Agricolæ, aut rabies falcis iniqua secet.
Sed vitreis tantùm lymphis, radijsque serenis,
Te foueat tellus, te vigil axis amet:
Chloris amica tuas, sociusque Fauonius vmbras
Ambrosio æternùm captus odore colat.

7 Candida te solum superat Tithonia coniux,
Mireturque tuas inuicta diuitias.
In te, ceu speculū, inspiciat, supplexque recubat,
E superis Phoebi lucida rheda plagis.
Ne tamen ad illa, aut roseus concedere Titan
Posse tibi fulua luce, colore putet:
Te vidisse, potest, illis quod non suis ostrum
Tradere, & aurato spargere plaustra Tago.
8 Ex oculis lacrymas, & vino suspiria corde
Pro Zephyris reddat, roscido & imbre vices.
Cecropias imitemur apes examina Diuum,
Queis à te stillans praeda sit ore liquor:
Et tibi (quia pietas, mollitaque excitet ardor)
Feruida dum vigiles ostenta mille ferunt,
Ex astro, vnde tuum ducis tibi, felle, colorem,
Exugant nostris dulcia mella malis.

Alia eiusdem.

1 Astra quibus picéum sibi nox exornat amictum,
Esse characteres, nitida qui voce profund am
Auctoris caperent mente, dextramque potentem,
Sat scio docti loquū calamos dictasse sophorum.
Nunc maiora tamen tellus miracla reuelat,
Quot folijs flos pulcher hiat, laxare videtur
Tot philyras, flos, imo liber, sua funera mitis
Quo laceratam notis soboles Tessera scripsit.
2 Aethra tibi faueat, te Scriptor & ipse recinget,
Flos sacer ô, tanto qui diues honore nitescis,
Neu curge iam Musa vetus dare laudibus vltra
Quot retulit Regum depingi nomine flores,
Vepribus in pago quisnam florentibus vnquam
Ver actum, & viduit, viditque micantibus hastis?
Iessideque ... monstra tabella eodem
Prodire in lucem flagra coniuga floribus ortu?

3 Se-

3 Semina prima tuis olim natalibus apta
Sparsisti haud Indi; Superum sed in arua fruteti.
O qui tot magni rediuiui in sæcula Regis
In paruo referas funus lugubre theatro,
Isacis ora sua genuit te forsan in horto,
Purpureis madefacta suum tepidisque fluentis,
Quæ potum dederunt oleis, vbi fudit Iesus
Sanguineas æger toto de corpore stillas.
4 Ah! quo penicillo dulcique pioque supremi
Zeuxidis hasce tibi depinxit dextera formas?
Quoue etiam minio, quod composuere cruores,
Quaslibet ante oculos pœnas, ac ludicra fixit?
Queis mirabilibus circùm vndique cultibus auctus
Ignibus æstiui Phœbi, brumæque niuosæ,
In foliis, vbi mille simul mysteria mortis,
Externum referas robur propriosque dolores?
5 Quandocumque gelu nocturni temporis vdus
Ore quidem muto, vernans, & voce silenti,
Quin hilari resonus, lacrymarum rore propagas
Cruda trophæa necis diræ, seriemque laborum,
Sacramque Crucis monimentum flebile, dignæ
Laudis amans, oculis stellati exponis Olympi,
Innocuus crescens mœsta inter funera risus
Materiem gemitus miseranti porrigit Axi.
6 Viuito, & exurgas felix, vbi tute quiescis,
Sirius haud lætet, Boreæ nec flamina stridant.
Sordidus haud vnquam te pes calcare profani
Audeat agricolæ, nec te falx impia cedat.
Sed te limpidulis pia tellus irriget vndis,
Et radijs prosint tibi cælica regna serenis. (tos
Vsque leuis Zephyrus, cū Chloride coniuge gra-
Vmbrarum, lepidus quos fundis, adoret odores.

7 Te solùm Matuta in agris miretur Eois,
Inuideatque tuis pompis, spectetque decorem.
Te speculum facis ipse suæ Sol eligat: adsit
Vertice te coram prono, stupidusque feratur
Te circùm ex alta stellis rutilante curuli.
Neuter at huc audax tentet conscendere, tecum
Vt proprijs certet radijs, certetue colore: (quã
Nãque tuus solùm obtutus dabit hisce, quod vn-
Ostrum non habuere, astrisq; micantius aurum.
8 Lacrymulæ, & calidis suspiria reflua fibris
Efforment tibi flabra auræ, rorisque fluenta.
Agmen apũ, de te pluuius quas recreet humor,
Sint quot in ætherea volitant regione Coloni:
Hique tuis calida in foliis dum millia figunt
Oscula, queis dulcem Pietas instillat amorem;
E fellis succo, qui te depingit amarus,
Excutiat suauem nostris angoribus Hyblam.

*IDILIO MORALE.*

*Sorgeua l'alba a pena,*
*Quando d'Oreto in su la piaggia amena*
*Duo de' seluaggi horrori*
*Romiti habitatori*
*Del Creator ne le create forme*
*Gian rintracciando l'orme.*
*Penser giocondo in tanto*
*Allor l'alme rapì,*
*E ne gioir cotanto,*
*Che la lor gioia in questi accenti vscì:*
*Se si desta in sù gli albori*
*Gorgheggiando l'augellino,*
*Salta, e fugge, e par che plori*
*De le panie il rio destino;*

*E dice in ſuo linguaggio,*
*Temo del Sole il raggio:*
*Sù queſt'hore preſſo al nido*
*Suol tener frodi il cacciator infido.*
*Deh chi mi deſſe qual colomba, l'ali,*
*Pria che 'l mio cuor s'impacci!*
*Che 'l mondo è pien di lacci*
*A danni de' mortali,*
*Deh chi mi deſſe qual colomba, l'ali!*
*Se l'ondetta criſtallina*
*Tra ſue ſponde muoue il piè,*
*Sempre vaga, e pellegrina*
*Par che mormori con mè,*
*Con dir che del ſuo corſo il lungo errare*
*Sol trouerà riposo in grembo al mare.*
*Mar di gioia ò mio Signore,*
*Ahi quanto vero egli è,*
*Ch'inquieto è il noſtro core*
*Sin che non giunga a ripoſarſi in tè,*
*Ahi quanto vero egli è!*
*Se l'auretta matutina*
*Leggiermente ſcuote vn fior,*
*Ei piegheuole s'inchina,*
*Par ch'adori il ſuo Fattor,*
*Ed a lodar m'inuita*
*L'eterno Fior, la cui bellezza imita.*
*Indi mi ſembra dir pallido in viſo,*
*Così fuggono così*
*Il piacer, la gioia, il riſo,*
*Qual fior, che ſuiene al maturar del dì,*
*Così fuggono così.*
*Poi ſe notte a ſuo coſtume*
*Spiega in aria i bruni ammanti,*

*Con*

*Con ſue cifre ſtelleggianti*
*Verga il ciel l'ampio volume;*
*E narra co'l ſilentio ſuo facondo*
*Di Dio le glorie al ſonnacchioſo mondo.*
*Bella magion beata,*
*Fia mai che fermi il piè ſu la tua ſoglia*
*De la frale ſua ſpoglia*
*Queſt'alma diſlegata?*
*Bella magion beata.*
*Selue beate, e care,*
*Bei ſolitarij horrori,*
*Oue le cure amare*
*Non oſano turbar le menti, e i cori;*
*Siete più grati a me chioſtri ſeluaggi*
*De' reali palaggi:*
*Se in voi già mai non ſon dal ciel diuiſo,*
*Voi ſiete de la terra il Paradiſo.*

# Al Molto Reuer. P. Giacomo Lubrani molestato in Palermo da tintinno d'orecchio nelle fatiche quaresimali.

## SONETTO.

QVal d'Egittio fragor tumulto ondoso
Freme, là ve del Nil rompono l'ire;
Tai fantasmi di suon sogna sentire
L'orecchio tuo nel cheto altrui riposo.

D'altre nubi oratrici il sen piouoso
Nostro Egitto non cura, hor che ridire
Puossi il capo, oue nasce, e fassi udire
Fonte di più facondie, vn Nilo ascoso.

All'humido dirupo, in que' contorni,
Suien senz'alma ogn'orecchio; a cui ristoro
Fia, che l'assordin pur d'vn fiume i scorni:

Tè la tua gloria assorda: in Conca d'oro
Soffri, che da te nato, in te soggiorni
Con più bocche d'applausi vn Nil sonoro.

## Sopra la prima institutione dell'Accademia degli Offuscati. S'allude alla loro insegna, che è la Via lattea.

SV la strada del Ciel da le mammelle
Grondò di balia Dea latte diuino:
Ma appreso in bel giel adamantino,
Quante stille versò, tante son stelle.

Per quel latteo sentier con sue facelle
De' Cigni al nuouo stuol scorge il camino
Febo, là ve liquor più cristallino
Beuano in fonti Aganippee più belle.

Ite hor voi Muse, e per gli Allieui vostri
Aprite a nuoui balli, a nuoui chori
Nouel Parnaso infra gli eterei chiostri,

Che s'iui stelle fur lattei candori,
Anche i lor foschi sì, ma chiari inchiostri
D'esser stelle lassù mertan gli honori.

## DIALOGO PASTORALE
### *Per musica.*

*A.* *Vedi là quell'agnellino,*
*Chè vicino*
*Del Lupo amico non pauenta i fremiti.*
*T.* *Vedi là che s'accompagna*
*L'Orso, e l'Agna,*
*E l'un e l'altra sù l'herbette scherzano.*
*A.* *Vedi là quell'aureo nembo*
*Che nel grembo*
*Pioue all'ombre vn tesor di perle candide.*
*T.* *Odi là dell'aurea soglia*
*Qual gorgoglia*
*Ondeggiante armonia d'accenti angelici.*
*B.* *Son desto? o pur vaneggio*
*Sonnacchiose menzogne?*
*Di rustiche zampogne*
*Non sembra questo nò, ma suon di cetere.*
*A.* *Mirate pur colà*
*Quel groppo di splendori inestricabile,*
*Che in fila di raggi sciogliendo si và.*
*B.* *Tacete pur, che quel Zitello amabile*
*Ver noi s'appressa in quà:*
*Noi rappella,*
*A noi fauella:*
*Già sul suolo*
*Per aprirci sua mente ei chiuse il volo:*
*C.* *Da la Regia de le Stelle*
*Reco a voi liete nouelle.*
*2.CC.* *Questa notte, che beata*
*Col meriggio si sposò,*
*La pace del cielo per dote recò.*

*Già*

*C. Giù nel inferno sol frema la guerra:*
*2.CC. La gloria alberga in ciel, la pace in terra.*
*C. Crucciofo, e nubilo*
*Com'anzi 'l Ciel*
*Non fcaglierà più fulmini:*
*Ma pien di giubilo*
*Pionerà miel,*
*E latte verferan le fonti, e nettare.*
*Quefta notte &c.*

## NENIA AL BAMBINO GIESV.

*Dormi Amor mio pargoletto,*
*L'alma mia ftillata in latte*
*Dalle due fontane intatte*
*Già fucchiafti in ful mio petto:*
*Hor col fonno chiudi homai*
*De' begli occhi i viui rai.*
*Su su partafi horsù*
*Dal tuo feno ogni dolore,*
*Non vegliar, non pianger più,*
*Dorma l'occhio, e vegli 'l core.*
*Dormi sù, fa la ninna o mio Giesù.*
*Sonno homai che tardi tanto*
*A legar gli occhi di Dio*
*Ne' due ceppi dell'oblio,*
*Ne' begli argini del pianto?*
*Sia del fonno hor prigioniero*
*Ogni duol, ogni penfiero.*
*Su sù, &c.*
*Per non romperti 'l ripofo*
*Entro al fen di verdi fponde*


Tac-

*Taccion chete, e dormon l'onde,*
*Nè si scuote il bosco embroso.*
*Su dormite o luci belle,*
*Anche in ciel dormon le stelle.*
*Su, su, &c.*

## NÆNIOLA AD PVERVM IESVM.

DOrmi dulcis, dormi belle,
Siste lacrymas ocelle,
Dormi blande, dormi.
Nocte mitescunt dolores,
Nocte silent alites:
Nec in amne lympha strepit,
Nec susurrant nemora.
Sub arboribus iacentes
Dormiunt Etesiæ.
Sola siluis Philomela
Tibi canit næniam.
Dormi dulcis &c.
Vi soporis inherescunt
Lenta cælo nubila,
Pigra languent astra somno,
Et conniuent sidera.
Humi strata rosa dormit
Mollior in purpura:
Perque colles, perque montes
Muta silent omnia.
Tu puelle rumpis adhuc
AEthera vagitibus.
Somne requies dolorum
Blande veni somnule.

Dul-

Dulcè vincias ocellos
Soporatis nexibus.
Dormi dulcis &c.
Vos per hinnulos ceruorum
Precor Hamadryades,
Ne Dilectum suscitetis,
Donec ipse vigilet.
Iam ridenti dormit ore,
Sed est vigil in amore
Puellorum flosculus.
Fluit humor è pupillis,
Sed cor æstuat fauillis,
Nectit Amor fœdera.
Dormi &c.

## ANGELVS AD PASTORES.

O Pueri reuocate animum, secludite curas,
Candida Pax iam rura colit, iam desinit ætas
Ferrea, voluuntur miseris noua sæcula terris.
Ipse hominum Rector teneros collectus in artus,
Ipse Deus vestra pueri sub imagine pauper
Bethlemis sub rupe caua, de Virginis aluo
Nascitur in paleis: pignus venerabile Mater
Edidit, & gelidis cunabula strauit in antris.
Tantus amor vestri, & redimendæ gloria gentis.
Quare agite, ite citi: gracili nunc ludere auena,
Et calathos onerare rosis, & cingere frontem,
Fas & odoratis prætexere floribus antrum.
Quare agite, ite citi, & teneros veneremur Amores.

Car-

# Carmen Pastoritium metro rhytmico.

INter frigoris horrores
Gelu sterilis acuto
Terra sinu iam soluto
Tibi fert, Puelle, flores.
Age floribus adnexis
Vagienti iam Puello
Mille citus ab agello
Serta properet Alexis.
Curæ pectoris edaces
Procul abeant, Virago,
Iesse gestit ò propago
Tibi cor nutrire faces.
Nato frigore trementi
Mater à bi plena mellis
Profer vbera labellis,
Prome nectar appetenti.
Risu crispis ecce genis
Puer visus est lætari:
Hic non respuit cantari
Vel siluestribus Camœnis.
Frondes murmurent ramorum,
Atque nemorum recessus:
Mœsta referat cupressus
Cantus hilares pastorum.



Ite ad antrum sine mora
Ite celeres pastores,
Ludunt Pueri per ora
Omnes rosei lepores.
Ite celeres pastores.

Virgo purior Aurora
Vibrat teneros amores;
Ite celeres paſtores.

## Paupertas Tuta.
## Ad illud Horatij:
## Anguſtam amici pauperiem pati, &c.

### O D E.

PAti beatam pauperiem ? frui,
Ignatianæ militiæ rudis
Diſcat iuuentus, & decoro
Spernere opum breue fulgur, auſu.
Redux paternos ditior ad Lares
Mercede onuſtus ſat meritę lyræ,
Dum fortè tranquillos Arion
Puppe ſecat volitante fluctus:
Tutus marinis, naufragus aureis
Miſer procellis, inſidias dolet
Sed ſerò nautarum, breueſque
Vix redimit moriturus horas:
Tum fila tangens, aera ceu ſenex
Olor, ſonoro nectare inebriat:
Canentis ad dulces dolores
Denſi humeris ſiluere venti.
Si pulſa, dixit, iam procul vrbibus
Fides auaris cordibus exulat,
Si fraus inulta, & fulminantis
Dextra Iouis taciturna dormit;

Vos

Vos fida Musis æquora, & æquoris
Amara quamuis, sa saque Numina
Audite vos saltem supremos
Innocuè pereuntis orsus:
Horresco culpam purpuream, manus
Horresco iniquas: credere fluctibus
Præstabit: aspirate magnis
Præcipitis, miserata, cœptis.
Audita, amicum vix tetigit mare
Ruina supplex, tergore squameo
Delphinis euectus, per æquor
Ad patrias equitauit oras.
Miror natantis prodigium, at semel.
Rursus periclis ludat auarior:
Amabo faciliues quietis
Pauperiem pretiosiorem.

## Castitas inuicta.

### O D E.

CAstam, & tenacem pure hiemis niuem
Lasciuientis non Veneris calor,
Non cordis eliquare acutis
Interior queat Aetna flammis.
Seruare nescit fax niuibus fidem,
Ignobili quas vbere nubium
Breui resoluendas in amnem,
Nutrit hiems niuium nouerca.
Nix vsque durat nostra, adamantina
Candens pudici compede frigoris:
Mollire tam benè obstinatam
Quis glaciem, piger ignis, ausit?

Te-

Testis pudoris, LVX, Arethusijs
Immota plaustris: testis Amazonum
Parens puellarum Panormus,
Virgineis nemorosa palmis.
Quæ nox vetusti temporis, obruet
Obliuioso nigra silentio
Nymphasque, Oliuasque, & Rosarum
Purpureos sine cæde amores?
Et te beati nominis asseclam
Christina? non natalibus, at tuo
Ciuem sepulchro, nec Parente,
Nec triplici domitam Tyranno.

## Factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis.
### O D E.

Repentè cælo quis sonitus velut
Spirantis auræ? quid tonitru ruunt
Poli laborantes fragore
Igniuomo lacerante nubes?
Præceps rubenti quis pluit agmine
Aestus, procella grandinis ignea,
Almæ suburbanas Sioni
Attonitas iaculatus arces?
Turrita forsan mœnia, & inuido
Vicina cælo deuoret oppida
Ignis, resoluendum supremos
In cineres domiturus Orbem?
Quas rursus Vrbes esuriunt sibi
Tot flammæ edaces vindicis ætheris?
Rursus Gomorrhæi timores
Lethiferis renouantur annis?

Ne

Ne pertimescat Mundus iniquior
Incendiorum fulmina : criminum
Non vltor ignis, innocenti
Luce comas, radijsque lambit.
En vt beato pectora conflagrant
Amoris æstu ! soluite, soluite
Sub caute cordis obstinatam
O Faculæ glaciem timoris.
Audimur. arcti nescia carceris
Postes recludit, nec patiens moræ
Charis bene audax, irretorta
Fronte, foras abigit timores.

## Votorum Captiuitas pretiosa.

### O D E

### Funiculus triplex difficilè rumpitur.

Rumpi difficilis funiculus triplex,
Nec solui facilis; nexu adamantino
Haud inuita animi colla ligat iugo
Libertatis amabili.
Tempestate natant quotquot in Indica
Gemmæ, solicitis ambitionibus
Quàm mallent nitido in carcere frontium
Stellas luce lacessere !
Ardescens viridi luce smaragdinus
Captiuus tenui fit lapis annulo,
Vinctum crediderim nexibus aureis
Scintillare superbiùs ;

Quàm

Quàm ſi littoreo vilis in otio,
Obſcuruſque ſibi, liberioribus
Gauderet ſpatijs, paſſus Agreſtium
Cæcis greſſibus obteri.
Regnantis Fidei ſic famularibus
Captiua obſequijs libera ſeruitus
Mentis, mancipium nobilius, decem
Quàm ſi Regibns imperet.
Amplexu religo vincula, non ligor:
Hæc ſtat continuis atterere oſculis,
Ne ferruginei dentis edacitas
Nexus extenuet meos.
Nodum fatidico vulnere acinacis
Se iactet Macedo ſcindere Gordium;
Non mors ipſa hebeti falce queat mihi
Terna hæc vincla reſoluere.

In Aram Diuæ Roſaliæ nuperam,
ex malo Medica conſtructam.
Alluditur ad fabuloſum Virgilij ramum.
Non deficit alter
Aureus,& ſimili frondeſcit virga metallo.

## ODE.

NOn ſic vireſcit planta, quam flatu leui
Zephyritis aura ventilat,
Aetate cùm pubente, ramorum comas,
Iuueneſque flores induit:
Nec ſic repente Vere depromit Roſa
Decus modeſtnm purpuræ;

Vt

Vt nuper arbor, fœta pomis aureis
In hortulo domestico
Recisa trunco, mortuisque brachijs,
Exuta frondibus suis,
Repullulauit aureas viua in rosas,
Frondente vernans bractea.
Felicis instar arboris, quę consita est
Amica propter flumina.
Quæ mira felix das Panorme germina
Horto voluptatis tuo?
Si virga, siluę filia olim nobilis
Frondens metallo regio,
Latratibus de Cerberi AEneam pium
Tutum reduxit à Styge;
Draconis etiam guttur, en sui Rosa
Præfocat auri fulgure.

## Ad Nubem Virginis Assumptæ curulem.

### O D E.

Sic te Virgo petens Polum,
Sic te Cælituum turba sequax, sinat
Sub vestigia proximam
Libare ambrosijs oscula gressibus,
Nubes, quæ tibi creditas
Debes exuuias Virgineas Polo,
Scandas ò pigrius precor,
Nec furère oculis delicias meis.
Felix præ socijs tuis
Quotquot toto equitant ęthere nubila;

Cui

Cui vectare curulibus
Concessum studijs pondus amabile,
Quo de fontis anhelitu es,
Terræ aut nobilibus nata vaporibus?
Nunquam, credo, sinus tuos
Insanis lacerent flamina flatibus:
Te solùm Zephyri leues
Aeternùm placidis obsequijs agent;
Te Phœbi fauor aureus
Intexta radijs vestiet Iride:
Quod si fortè per àëra
Te mixtam reliquis nubibus inferes,
Cæli sulphureas minas,
Compescesque tuo Numine fulmina.

## In Superbum.

Riuule ò torrens nimiùm superbo
Turgidus fastu, patriæ sed vndæ
Pauper, obscuros genitrix cauerna
Cui dedit ortus;
Ne supergresso malè plenus amne
Littori insultes, geminæque ripæ,
Toruus obstantes obices retundens
Impete aquarum.
Aulæ vectigal tibi si liquentis
Soluit argenti niueus December,
Vret, Augusto redeunte, siccas
Aestus arenas.
Quàm tibi dispar, placidoque Oretus
Mitior fluctu, latices amicos
Voluit ad fauces maris, inquietæ
Nescius ire!

Si bibit nubes, iuga nulla pontis
Excutit : latrat rabiosus altro
Sirius ; non hinc breuiore siccus
Stringitur alueo.
Tu furens æstu gelido, rebellas
Sæpè inæqualis tibi : sed breui fors
Cardines vertet vicium, mihi mox,
Nunc tibi amica.
Stulte decrescent aliena ripis
Munera vndarum, tibi mox petulco
Sperat arentes pecus omne gressu
Scribere arenas.

## Psamus 108.

1 DEus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

1 *Deh non tacer, o Dio,*
*Dell'innocenza mia la vera lode,*
*Hor che con cieca frode*
*Iniqua bocca incontr' a me s'aprio.*

2 Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.

2 *Vn velenoso rio*
*Mi vomitò nel seno, e la mia pace*
*Turbò senza cagion lingua mendace.*

3 Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam.

3 *In iscambio d'amore,*
*Qual meritò del zelo mio la fede,*
*Questa fu la mercede,*

La-

*Laceromm i l'honor nero rancore:*
*E pur io dentro al core*
*Sol per iſchermo a le calunnie aſcoſe*
*Porgeuo vmil al Ciel preci focoſe.*

4 Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

4 *Perfida ricompenza!*
*Pagaron gli empi il ben oprar col male,*
*E'n bilancia ineguale*
*Corriſpoſer con odio all'innocenza.*
*Con maligna potenza*
*Del mio ſincero amor il puro mele*
*Cambiò vil ragno in velenoſo fiele.*

5 Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.

5 *Fa che ſouraſti all'empio*
*Vn altr'empio Tiranno, a lui ſimile,*
*Che con orgoglio hoſtile*
*Opprima l'oppreſſor con egual ſcempio.*
*Per memorando eſempio*
*Gl'infeſti'l fianco, e con flagello interno*
*Lo sferzi il fier carnefice d'Auerno.*

6 Cum iudicatur, exeat condemnatus; & oratio eius fiat in peccatum.

6 *Oſi a maggior ſuoi danni*
*Horrido Tribunal, rigido impero,*
*E'n giudicio ſeuero*
*Al ſupplicio final reo lo condanni.*
*Habbian tarpati i vanni*
*I ſuoi ſoſpir, nè per pietà ſi pieghi*
*Giudice duro al pianto, e ſordo a i prieghi.*

 7 Fiant

7 Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter.

7 *Su l'immature trame*
*Del soguato gioir, cada lo strale:*
*La forbice fatale*
*De gli acerbi suoi di tronchi lo stame:*
*E con ingorde brame*
*Pronto a ritorre al predator la preda,*
*Al soglio del su' honor altri succeda.*

8 Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

8 *Orfani siano i figli suoi dolenti,*
*sì che in brieui momenti*
*Si cangi in nero duol scena pomposa:*
*E la vedoua sposa*
*In martirio di doglia, e in atre vesti*
*Le notti, e i dì col pianto suo funesti;*

9 Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis.

9 *In esiglio vaganti*
*Errin raminghi i pargoletti sui,*
*E da le mense altrui*
*Il mendicato pan comprin co' i pianti.*
*Con passi titubanti*
*Escan cacciati da la patria soglia,*
*Nè per legge hospital sia chi l'accoglia.*

10 Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius; & diripiant alieni labores eius.

10 *Creditor inhumano*
*Le sue sostanze sconuolgendo insulti:*
*Da gli erarij sepulti*
*Tragga gli ori adorati auida mano.*
*Ciò che 'l trauaglio insano*
*Accumulò di mal sudati acquisti,*
*D'estrani vsurpator siano conquisti.*

11 Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius.

11 *Niegbigli ognun aita,*
*Nè de' pupilli suoi senta pietade.*

12 Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius.

12 *Al fiorir de l'etade*
*Tramonti in su'l mattin brieue lor vita.*
*Tutta in vn groppo vnita*
*Sia la progenie lor dal mondo sgombra,*
*Nè pur del nome suo rimanga l'ombra:*

13 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur,

13 *Su la vista increata*
*Rieda a memoria l'empietà de gli aui,*
*E con l'eterne chiaui*
*Dal chiuso de l'oblio sia disserrata:*
*Nè rimanga celata*
*De la madre la colpa, ò si dilegui;*
*Ma de' secoli eterni il corso adegui.*

14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.

14 *Siano sempre costoro*
*Contro l'ire del Ciel certo bersaglio:*
*Chiuse in letheo serraglio*
*Peran dal mondo le memorie loro,*
*S'egli in altrui martoro*
*Inesorabil per ferina vsanza*
*Smarrì di compatir la rimembranza.*

15 Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

15 *Cuor, di fierezza amico,*
*Non mai pietà sentì suegliarsi al seno:*
*Per isfogar a pieno*
*Huom pure stermind vile, e mendico.*
*Più che brutal nemico*
*Di supplice contrito il reso homaggio*
*Crudo atterrò con disusato oltraggio.*

16 Et dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

16 *Gioì de l'altrui male,*
*E'l mal'altrui su'l capo suo s'auuenti:*
*Amò stragi innocenti,*
*Tal sia di stragi ei calamita; e quale*
*Barbaro micidiale*
*Abborrì la clemenza, in simil guisa*
*Sia sempre dal suo sen langi diuisa.*

17 Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.

17 *Come abbraccia, e circonda*
*Tutto d'intorno il sen tessuto ammanto,*
*Tal se l'addossi a canto*
*Ogni bestemmia rea di bocca immonda:*
*Come fresca, e dolce onda*
*Nelle viscere sue scorra ed impetri,*
*O qual sin dentro all'ossa olio penetri.*

Reliqua desiderantur.

Præ-

# Præfatio ad Humanitatis Classem.

CVm in præterita studiorum intermissione suburbana rusticarer in villa PP. RR. mecum ipse tacitus sępenumero versabam, quonam potissimum modo futurum esset, vt auditores meos Apollinaribus disciplinis adeò initiarem, vt eos pro mea virili parte, Musarum alumnos redderem germanissimos: cumque totus in eo essem, quamplurima occurrebant animo, quæ ad id muneris assequendum præcepta conducerent: tamen, vt eram cupidus omnem mouendi lapidem, quo excitatam semel cupidinem animi ad fastigium vsque perducerem, meo mihi visum est iudicio acquiescere non debere: AEstuanti igitur varijs cogitationum in fluctibus, ea demum succurrit animo æqua sanè potiorque sententia, ea de re scilicet consulere Phœbum ipsum. Sub lucem itaque curis omnibus expeditus ad Parnassum memet contuli: introducor ad Apollinem, rogo vacuas aures, dantur illicò; apertoque breuiter, quę causa viæ, quis sue sacros ad recessus ardor intempestiuus impulerit, ore Phœbus facili subblandiens, vt meę fieret inquisitioni satis, Musarum iubet concilium aduocari. Illæ per ea fortè rura circumuagantes, quà legendis floribus, quà carminibus concinendis intentæ, quò quamque vel iniussi pedes, vel studium abripuerat suum, huc illucque secesserant. ad eas accersendas iambos, sapphicos, & si quos habuit, versus, expeditiori pede currentes, misit nuncios, vt suas quique Musas quàm celerrimè conuocarent. Mirabar ipse interim opacos sacrorum nemo-

morum horrores, & pendentes ex omni lauro citharas ad ludibrium Zephyrorum, & exesis pumicibus concameratum specum, & muscoso circùm lapide dispolita Musarum sedilia, & Caballini illius fontis originem puriorem, admurmurantem in saxis, & nescio quos ipso resonantem murmure versus. Aduenere tandem sorores omnes; iusseque ea de re quid sentirent, exponere, quidue maximè conduceret ad excolendam Apollini iuuentutem, Terpsichore prima, indicto manu silentio, hunc ferme præfata est in modum.

## Carmen Anapæsticum.

Est Musarum Grammatice soror,
Nunquam Aonides chòreas agitant,
Quin iuncta comes simul ipsa suos
Doctis saltibus implicet orbes:
Nimium pręcox Doctor fallitur,
Si Castalijs mergere fontibus
Ora iuuentæ rudis edoceàt,
Ante laboris quàm patientior
Primis pueros artibus instruat.
Frustra pluuios excipit imbres;
Nec sibi credita semina Tellus
Largo felix fœnore reddet;
Ni prius vnco durus arator
Subigat segnes vomere glebas,
Sterilesque satis vrat auenas,
Pingui saturans iugera cinere.
Nec circùm àëra vertere gyros,
Implumis adhuc audet Aëdon;
Pennas donec senserit humeris.

Cre-

Creuisse leues; sic Grammatices
Nondum doctus præcepta satis,
Dabit Aonidum nomina fontibus;
Si Phœbeo propiùs iubari
Malè ceratas alas admouens
Volitare velit, repere vix bonus.
Helicone procul remoueto gradus
Prima rudis adhuc elementa puer,
Fœdis sordibus ora sororum
Vitiare nefas, nigra venena
Miscere sacris dedecet amnibus:
Per iuga Pindi dedecet integras
Claudo incedere pede Lesbiadas.

Ingenti cum significatione lætitiæ excepta est Terpsichores de Grammatice sententia. hanc Thalia secundo loco proxima subsecuta est.

## Trochaicum tetrametrum catal.

MEntis omnẽ prome sensũ, corda, & aures arrige
Quisquis expetis choreis interesse Apollinis:
Ante Pindi quàm sonantis sacra tangas limina,
Floridus quicumq; campus peruagandus omnis est:
Nulla gressibus citatis prata sint imperuia,
Perque Tempe Horatiana, perque campos Virgili,
Siue Nasonis per agros, seu Properti per iuga,
Quidquid hic odoris halat, aut renidet floridi,
Veris omnes hinc honores doctus virginis demetat:
Necte lexes, verba necte; paginarum lilia.
Sed ne deuius vagetur messor vltra terminum,

Addat

Addat vltrò se coloni doctioris asseclam :
Ipse nuperos alumnos per vireta ductitet ,
Ne qua nudis cæca plantis senticeta conterant ,
Instruatque colligendis in librorum flosculis ,
Quosq; linquāt, quosq; odore, quosq; carpant pollice.
Ille compitis tegendis, hic corollis aptior :
Ille viuidus iuuenta est, hic senescens defluit.
Sed caueto, nō rosetum est quidquid agris purpurat,
Sola nec ligustra cultos per nouales albicant :
Albet & flos alliorum, & rubra sunt papauera ;
Promit & suos colores floris instar carduus.
Monstret inde puriores riuulorum origines ,
Ora possint vt latinis admouere fontibus.
Est Catulli vena dulcis, est Tibulli cultior ,
Os Propertî nescio quid concinit sublimius :
At Maronis inter omnes Musa vates prominet ,
Vt cupressus in genistis , inter astra vt Cynthius.

Haud minorem excitauit plausum in colligendis phrasibus seruandus modus : huic tamen non absimilis Erato de Scriptoribus imitandis.

## Glyconium.

PHœbi progenies noua ,
Quæ primos nemus ad sacrum
Intulisse cupis pedes ,
Vt discas lepidum melos
Certis nectere legibus ,
Haud vllum aggrediare opus

Fre-

Fretus viribus ingeni ;
Scriptorum nisi paginas,
Ac volumina sæpius
Presso pollice conteras :
Ceu pictor similem intuens
Obiectæ speciem trahas ,
Atque exemplar imaginis :
Soluit littore scilicet
Nuda remigio ratis ,
Perque atrum mare Magdala
Truci creditur Africo ?
Sic te Virgo potens poli ,
Cælitumque regat Pater
Puppis,quæ tibi creditum
Cordis dimidium mei
Vectas, per vada cærula
Serues incolumem , precor.
Canendus Deus est, latens
Mortali sub imagine ?
Sic; pro phaselo quem videtis hospites :
Puellus ille , quem videtis in specu ,
Ait fuisse Cælitum potens Deus .
Proque, se tibi dedicat
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris ;
Vates se tibi consecrat
Puella Virgo, & ô Puelle Virginis,
Pubes sic imitabitur
Prisca cum sale carmina :
Quin Vatum haud pudeat modos ,
Sparsa aut mentis acumina :
Chartas inserere in suas :
Hyblæ ceu rutilans Apis
Per florum viridaria

Im-

Imbre dum tremulo madent,
Modò huc ingeniosior,
Modò illuc volitans leuis
E lanugine germinum
Legit rorem adamantinum.
Hinc dona haud sua proprijs
Condit sedula in horreis,
Elaboret vt aurei
Mellis iam sua munera.
Pubes impigra non secus
Quidquid emicat aurei,
Quidquid floriduli viget
In Vatum areolis, lubens
Septa transferat ad sua:
Nempe hæc furta recondere
Nulla relligio vetat.

Calliope quarto loco, cæteris omnibus forma præstantior, sententiam sic exposuit suam.

## Alcaicum, &c.

Sunt queis inepti desipiunt modi,
Primus iuuentæ quos calor excudit;
Aures que purgatas fatigant
Verba sonis tenuata paruis.
Vellent, vt vno stans pede carmina
Mille, ore feruens magniloquo puer
Dictaret, elimata voluens
Per celeres metra dithyrambos;

Vellent, cruentos Martis anhelitus,
Et obstrepentum murmura cornuum,
Regesque tractarent, Deosque, &
Orbe sacros domito triumphos.
Quin iuniorum repet humi labor,
Ni verba iactet sesquipedalia,
Tractuque serpens tortuoso
Mille nisi impediat Meandros.
Contenta paruo sit, patiens moræ,
Nec plura iniquis viribus exigat,
Diuque verset, quid recusent
Ferre humeris, animosa virtus:
Nec metiatur parua suo pede
Vestigiorum signa didascalus,
Rate sue secum per proteruos
Stricta sinat dare vela fluctus.
Furans laborà sæpe animum, rudi
Balbus puello subloquitur Pater,
Priora dum formare verba
Ore puer tenero laborat:
Sic se magister pubis ad infimos
Conformet vsus, ac tenui stylo,
Musisque consultò impolitis
Discat inops sapienter vti.
Dediscat œstro percitus entheo
Versus fluentis voluere turgidis:
Dediscat audaces Camœnas,
Et numeros generosiores.
Quin celsa Pindi deserat ardui:
Quæque astra lambunt fronte cacumina,
Ad ima descendens, puellis
Monstret iter, dubiosque calles.

Sed

Sed asperiora Clius præcepta, inuisa fortasse pueris, æquis si lubet auribus excipiamus.

## Sapphicum.

Est procul vulgi à strepitu reductum
Palladis culmen, pedibus sub imis
Despicit nubes, patriisque frontem
Inserit astris.
Ver ibi semper placidum perenni
Flore pubescit, facies Olympi
Purior ridet, riguoque turgent
Flumina lacte.
Pinguibus pallet nemus omne oliuis,
Noctua implumes vbi sola nidos
Construit: sed dedidicisse tristes
Iussa querelas.
Cæteros præter locus hic Mineruæ
Ridet: huc multo satiata Marte
Colligit sese, aurifluos recludens
Casside crines.
At per angustas via rara fauces
Ducit huc gressus, iter omne squalet
Obsitum dumis, dubiosque fallit
Semita calles.
Nulla saxoso strepit vnda cliuo,
Aridus quà se releuet viator,
Nulla quæ fessos tegat hospitali
Populus vmbra.
Cura quin pallens, vigil & laborum
Turba se nectunt comites eunti,
Mollior donec via te beatis
Sistat in oris.

Sci-

Scilicet flagro pueros minaci
Terreas Doctor, ope queis Mineruæ,
Rurſus ardenti ferula refingas
Ora Prometheus.
Neue abhorrentem trochus aleæque
Auocent duris animum palæſtris,
Tempori pronæ tibi mentis era-
denda cupido eſt.
Sæpe vel myrteos, ſaliceſue lentas
Format in nauis ſpeciem colonus,
Et decus frondens nemorum marinos
Vertit in vſus.
Sponte ſed creſcent iterum priorem
Ramuli in ſiluam, niſi temperanti
Falce frondator malè prominentes
Amputet vmbras.
Ergo ſudorum ſcatebris riganda eſt,
Flebili aut quæ profiliunt ocello,
Vt pererrantes capiti elaboret
Laurus honores.

Contraxiſtis, ni fallor, frontem indignabundi adoleſcentes, atque aſperi monitoribus: ſed explicate parumper, dum veſtrarum partium vindex Euterpe ſic pro iucunda lenitate declamat.

## Phaleucium.

NOn ſemper gelidis rigent pruinis
Parnaſſi iuga, compede aut niuali
Frenantur rapidi impetus aquarum;

Nec

Nec iam grando oleas facras Mineruæ
Vſque contudit, aut momordit æſtus.
Tu ſemper ſtudio aſpero, ac ſeuera
Formas Pallade puberes alumnos;
Et ſudoris, & amne lacrymarum
Laurum per ſolidos rigabis annos,
Doctæ vt præmia frontis elaboret?
Fons, eſto, educet arbores: comarum
Sed decus, nimios bibens liquores,
Languore effluet albicans aquoſo.
Sol firmet; tamen igne temperato
Ni vibret radios tepentiores,
Paulatim nemus aridum ſeneſcet.
Euro, haud turbine ventilanda nigro eſt:
Quin feliciùs arbor euocatur,
Occultoque per arua creſcit æuo,
Blandè quam Zephyritis aura mulcet,
Et flatus recreant benigniores.
Nec iam pertica ſæua verberando
Fructus decutiat; ſed ipſa poma
Ne ictu læſa cadant, manu exigantur.
Quòd ſi ſegnis humum malè occupabit
Sola luxurians coma, atque inani
Spe lactans dominum? neque hinc repentè
Eſt radicitus exſecanda, vt ignis
Paſcat peſtiferam eſuritionem:
Expectare iuuet noui teporem
Veris, & placidos Apeliotas,
Si tunc fortè ferax ſinum reſoluat.
Saltem frigus amabile hoſpitalis
Vmbræ, aut Icarium dabit per æſtum
Murmur, conciliens leuem ſoporem.
Vmbroſum, platano, dediſſe tegmen

Olim

Olim profuit; vnde onusta gemmis;
Aureisque superbiens catenis
Visa est Hesperidum tulisse fructus.
Sic largis potius Benigne donis
Tu pubem exacuas flagrantiorem,
Honorumque animo excites fauillas.
Blandi crustula nempe dant puellis
Doctores, elementa quò priora
Velint discere, carminumque leges.

Ad confirmandam Euterpes de exercenda lenitate sententiam, aliam Melpomene excogitauit rationem, quò facilius puerorum animi ad dura Pindi superanda fastigia allicerentur. ea illa est.

## Trimetrum Iambicum.

MVsis fouere semper Helicona haud placet;
Spreuisse Pindi, tempus ad paruum, sacros
Iuuat recessus, scena si Musas vocet,
Frequens theatri circulo aut vulgus fremat:
Quisquis palęstræ præsidens clauum regit,
Exerceat siue tragicis pueros choris,
Nodosue comico implicet choragio,
Isto vt sit vsu viuidus animi vigor,
Et ingeni sopitus aduigilet cinis.
Inducat in proscenium aut iuuenem pium;
Casti tenacem siue propositi virum.
Odijs nouercæ fingat occisum à patre
Natum innocentem, feròque retextos dolos:

Milesque gloriosus haud sua iactitet
Facinora, vel machæræ inexpletam sitim,
Cubitiue catapultam, vel arietem manus.
Thesauro auarus incubet clauso senex,
Sibi met nec ipse credat, ac pauitans sui,
Magus susurret, seruus aufugiat domo,
Domique seruiat inscio gnatus patri.
Sin hoc iniquum onus humero, at saltem suos
Persæpè partus edat è rostris puer.
Sub tempus, infans rupe quando oritur Deus,
Hic Tityrum induat, ille Meliboeum gerat,
Gestire docti, fortè sub nigra ilice
Hic Pueri, & ille Virginis canens,
Siluestrem tenui meditetur arundine Musam,
Bethleas resonare docens sua gaudia siluas.
Post vbi recurrens reuehit infandum nefas
Phœbus, & opificis horret interitum sui,
Puer cupresso lugubri premens comas
Narret quos roseo iactauerit ore querelas
Magdala ad extincti Numinis inferias:
Vtque manu, vtq; oculis nardoque replerit, & imbre
Dulces exanimi corporis exuuias.
Cùm deinde victor, Dite triumphato, Deus
Rediuiuus aureum exeret frontis iubar,
Parnassi alumno laurus exornet caput:
Musa ipsi causas memoret quo crimine læsus,
Quidue potens Rector superum penetrarit ad ima
Tartara, & obscuri spolijs Acherontis onustus
Prodierit superas iterum rediuiuus in auras,
Celsa triumphales feriunt vbi sidera plausus.
Sic excitetur Pallas in puerum animis,
Siquando languidus occupat mentem sopor.

Vix

Vix Melpomene dicendi finem fecerat; cùm impatiens moræ Polymnia ne contineri quidem potuit, quin media sororis verba interciperet.

## Asclepiadeum.

QVisnam quis rapido Numine turgidos
Vates indomitus corripuit calor?
Quæ rerum facies? quod subitum chaos
Turbat docta sacris otia rupibus?
Pro Latonigena Bacchus Apolline
Tangit plectra? nouem proque sororibus
Fauni capripedes cum Satyris agent
Ferre incompositis orgia saltibus!
Nec laurus nitidi munus Apollinis,
Quæ propter scatebras creuerat, amplius
Texit fatidica fronde crepidinem.
Solis ripa latet consita vitibus,
Et vineta comis luxuriantia
Parnassum grauido palmite vestiunt,
Doctis vnde virent præmia crinibus:
Iam deinceps valeat fons Aganippidum;
Quem pressa elicuit Pegasus vngula.
Musarum vitreis vena liquoribus
Manans, purpureo nempe tumet mero,
Vrnam quo liceat mergere vatibus,
Vtque os imbre sacri nectaris irrigent.
Est qui nec veteris pocula Massici
Spernit, nec Siculum feruidius merum
Bacchi perniciem, flumina deuouens.

Fumosa hic puerum Cæcuba promere
Secum nata iubet, Consule Manlio,
Sic spumantis ope dissipat Euij
Mordaces animi solicitudines.
Illi tot pateræ sunt satis ac super,
Quàm magnus numerus pulueris aridi
Laserpiciferis conteritur vijs,
Aut quàm multa nitent sidera, cùm tacet
Nox, & corda sopor languidus irrigat.
Ergo præcipiti mens Dionysio
Subtersusa, melos suggerat entheum?
Dictantem gelidis carmina rupibus
Vidit quis Bromium? haud credite posteri:
Phœbus Castalio fonte perenniùs,
Quàm qui gemmifero palmite defluit,
Musarum soboli pectus inebriat.
Quare Pegasidum quisquis amicior
Parnassi recolit saxa biuerticis,
Nullam vite priùs diruat arborem.

Sed iam denique ad Vraniam ventum erat: hæc cęterarum postrema modesto quodam rubore perfusa genas, oculisque defixis ad terram, de petulanti Poëtarum licentia non sine animi sensu, castigata tamen voce ita conqueri aggressa est.

## Elegiacum.

CAstalios simul ac nostris sub rupibus amnes
Elicuit fugiens Bellerophontis equus;

Purior argento, & varijs ſubſtrata lapillis
Serpebat liquido lympha per arua pede:
Nec latuit, licèt orta imis ſub fontibus herba,
Inclinata leues dum pateretur aquas.
Vatibus aſt vbi Phœbeo ſitientibus æſtu
Cuique vrnam licuit mergere poſſe ſuam;
Miſcent ſe latices, fædoque agitata tumultu
Feruet, & ingenuos turbat arena lacus.
Quin, corrupta graui ſordent vbi littora cœno,
Plurima limigeris rana coaxat aquis.
Nempe hinc ſpurcidicis vitiantur carmina verbis,
Quæ paſcant ſtygias carmina digna faces.
Sola placent numeris reſonantia plectra profanis,
Eſtque inſulſa hac quæ peſte Camœna caret.
Nec niſi fœda Cypros canitur; vel iniqua Thyeſtis
Crimina, & auriflui furta nefanda Iouis.
Delphica laurus abi, doctę noua prœmia frontis
Myrtus odoratis luxuriat folijs.
Quin ſe Muſarum Venus implicuiſſe choreis
Auſa eſt, Phœbi inſtar carmina dictat Amor.
Vnda ſtrepit ſaxis? leuis aura ſuſurrat? Amores
Et ſpecus, & fontes, & nemus omne ſonat.
Ergo ne defuerit numeris aptanda Latinis,
Quæ ſacra ſufficiat carmina, materies?
Sit tibi quem referas hominum collectus in artus
Et Deus ipſe, Deique inclyta progenies.
Principium aut Muſæ tibi ſit ſoboleſque parenſque
Numinis, Ipſa eadem Virgo, eademque parens.
Soluere & indignos diuina ad crura capillos,
Funeráque addiſcet ſacra Elegia queri.
Hæc pubes canat, & crines redimita liguſtris
Noſtra pios doceat ſaxa referre modos.

Expositis Musarum sententijs, Apollo qui conuentui medius præsidebat, ante quàm dimitteretur coetus, præceptionum omnium compendiariam complexionem in fatidicæ lauri cortice, vestibulum ipsum opacantis, iussit incidi. Tum sic ipse breuiter:

Quodicente cadit fragor, insaniq; tumultus
Ventorum, & raucos castigat silua susurros.

Accipite ergo animis: tuque ò, cui cura Iuuentę,
Et puerũ cultus cordi est, quẽ Phœbus alũnis
Præfecit, numerisque dedit coluisse disertis;
Ne prius hinc remoueto gradus, quàm cortice in illo
Scripta tuę seruanda feras præcepta palęstræ:
Nec tamen è nostris adeò indonatus abibis
Sedibus, ora sacræ iamdudum insueta Aganippe
Admoue, Apollineumque hauri de flumine murmur.

Sic edoctus pedem inde retuli; vt hæc Musarum, Apollinisque præcepta non minus hisce pro rostris aperirem auditoribus meis, quàm & vt toto hoc anni surgentis curriculo, Deo bene fauente, seruanda, sedulò diligenterque curarem. qua in re haud erit mihi, tantopere desudandum; vt enim ingenuè candidèque fatear quod sentio PP. nihil vnquam tam ar-

duum ac difficile ( nisi me ludunt indices animorum vultus) excogitari potest, quod mihimet non posse videar à solertissima hac, tamque bene morigerata Panormitanorum florenti adhuc aetate polliceri. Dixi.

D. O. M:

D. Antoniæ Libassi, & Ruffino; Matronæ viduæ Panormitanæ, sorori optimæ.

Epitaphium.

CHara soror victura meo, dum viuo, dolori,
Si mihi te reducem mors sociare negat;
His non illa oculis lacrymarum iura negarit,
Nec tecum viuo marmoris ore loqui.
Sed tua ne cineri requies sit rupta, perennes
Hic vigila excubias, sed taciturne dolor.





